



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:


- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

B 1,131,430







870.3

C 22

CORPVS
GLOSSARIORVM LATINORVM

A

GVSTAVO LOEWE

INCOHATVM

AVSPICIIS SOCIETATIS LITTERARVM REGIAE SAXONICAE

COMPOSVIT RECENSVIT EDIDIT

GEORGIVS GOETZ

VOL. III



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCLXXXII

HERMENEVMATA

835-86

PSEVDODOSITHEANA

EDIDIT

GEORGIVS GOETZ

ACCEDVNT HERMENEVMATA MEDICOBOTANICA VETVSTIORA



LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVNERI

MDCCLXXXII

LIPSIAR: TYPE B. G. TRVDNERI

SYLLOGO · PHILOLOGICO · GRAECO

CONSTANTINOPOLITANO

HAEC

**VETVSTISSIMA · GRAECORVM · ET · ROMANORVM · COMMERCII
TESTIMONIA**

D. D

GEORGIVS · GOETZ



PRAEFATIO

Tertii voluminis quod foras nunc emitto triplex est materia: praeter hermeneumata Pseudodositheana quae vulgo dicuntur glossaria aliquot exhibentur ex iisdem vel similibus libris hermeneumaticis excerpta: quibus quae subiecta sunt hermeneumata medico-botanica vetustiora a reliquis diversa sunt, nisi quod cum illis utriusque linguae usu continentur. Hermeneumatis Pseudodositheanis quam olim promiserat operam quod praestare non potuit Carolus Krumbacher nemo magis quam ego dolebit: sed cum aliis districtus laboribus hunc se sustinere posse proximis annis praefracte negasset, invitus necessitati serviens ipse successi. Itaque apparatus quem ille collegerat, in meas manus transiit. Quae nondum in promptu erant, cum Gundermanno meo composui: qua in re ut suum cuique religiose adsignaretur hac praefatione diligentissime cautum esse volui.

I

§ 1. Primum quae locum tenent hermeneumata Leidensia ex codice Leidensi Vossiano graeco Q. 7 saeculi X¹) edita sunt: quo de codice praeter alios egerunt Boeckingius in praef. Dosith. p. XIV—XXI et Krumbacherus (de codicibus quibus interpretamenta Pseudodositheana nobis tradita sunt. Monachii 1883) p. 35.

1) Saeculo decimo codicem tribuit Gundermannus, undecimo Boeckingius duce Geelio; cf. Boeckingius p. XV. Ceterum apographon huius libri exstat inter apographa Burmanniana: cf. Loewii Prodr. p. 170. 206; alterum apographon continet cod. Ruhnkenii 53 (Geel 189); marginibus aliquot emendationes Ruhnkenii et Valckenarii adscriptae sunt. Excerpta insunt in cod. Perizoniano quart. formae 49 (Geel 230) p. 273—281. — Apographon earundem glossarum Bigotii quoque liber continet quidam, h. e. cod. Paris. suppl. gr. 836 in fol. 21—40, ubi teste catalogo 'Iulii Pollucis interpretamenta' leguntur. Adiecta sunt in fol. 40—41 quadraginta quinque glossae latino-graecae ex lexico quodam excerptae, quarum prima est κῆρυξ *stlacarius*, ultima λογος *uerbum*.

Folia insunt membranacea 42 (22 × 26 cm.): quorum 1) 3^r—39^u occupat Pseudodositheus; 2) 39^u—42^r antidota et tractatus medicinales; 3) 40^u etiam carmen nautarum (cf. 'Neues Archiv f. ält. deutsche Geschichte' VI 190; XV 514 adn.); 4) 42 tractatus de avibus, bestiis, promunturiis ex Isidori libris excerpti. Singulae paginae bifariam sunt divisae: in sinistrae columnae bipartitae parte sinistra lemmata graeca sunt uncialibus litteris scripta, in dextra interpretamenta latina minusculis litteris scripta: nec differt dextrae columnae bipertitae ratio. Omnia unius sunt manus, eiusdem cui etiam adnotationes quaedam debentur, velut \bar{R} (h. e. *Require*; cf. p. 13, 51; 18, 56; alibi), inscriptiones capitulorum in marginibus iteratae (cf. p. 11, 28; 13, 30; alibi), additamenta glossematica aliquot, quae ab archetypo afuisse ceterorum librorum dissensus demonstrat (cf. p. 12, 50; 51; 14, 41; 42; 21, 14), numeri denique librorum Homericorum in belli Troiani epitoma (p. 60 sqq.). Paucula quaedam correxit manus recens saeculi XVI vel XVII, fortasse Salmasii. Librarium ex Germania oriundum fuisse glossae germanicae quas adiecit indicio sunt (cf. exempli causa p. 20, 37). Transcriptus liber videtur ex codice, cuius singulae paginae undevicenorum versuum fuerunt; nam quae est in folio 24^r lacuna 2—3 versuum (p. 43, 10 sq.) ei similis respondet lacuna post 16 versus hians: quae lacunae quin eodem chartae nescio quo detrimento natae sint mihi vix dubium videtur. — Ad Isaacum Vossium venit codex ex bibliotheca Christiani Rumpffii medici, sicut in primo folio scriptum est. Vsi sunt eo Salmasius, qui libri de modo usurarum p. 877 ed. Lugd. Batav. a. 1679 hoc diserte confirmat, Valckenarius Misc. observ. IX p. 413 sq., X p. 108 sqq., Oehlerus Mus. Rhen. 17 (a. 1862) p. 55, Keilius Gramm. lat. VII p. 371 sq., alii, de quibus infra dicetur. Huius igitur libri egregii partem Krumbacherus cum apographo suo codicis Sangallensis contulerat; integra hermeneumata transcripsit Gundermannus, cuius apographon typhotetae traditum est: plagulae denique cum codice consueta liberalitate Ienam transmissio denuo conferri potuerunt.

Partem eorundem hermeneumaton (= p. 10, 5—40, 20) continet codex Sangallensis 902 membranaceus saeculi X a littera a me notatus: de quo cf. praeter Scherrerum catal. p. 316 Boeckingius p. VIII sqq., Keilius Gramm. lat. VII p. 365 sq., Krumbacherus p. 35 sqq. Hermeneumata exstant pag. 43—59: de reliquis quae insunt cf. Scherrerus et Keilius. Hunc codicem Scaliger vidit apud Cuicium: cf. Scaligerana (ed. Hagae Com. a. 1666) p. 94: '*Dositheum* vidi MS. apud Cujacium. C'est l'exemplaire de Saint Gal,


qui a esté chez Monsieur Cujas'. Postea Goldastus ex eo edidit Sententias Divi Hadriani, quo de infra agendum erit. Goldastum excepit Niebuhrius, cuius apographo usus est Boeckingius. Novum apographon capitulorum confecit Krumbacherus; ego et hoc apographon et ipsum codicem in apparatu componendo adhibui: plagulas denuo cum ipso codice contuli.

Eadem fere hermeneumatōn pars (= p. 10, 5—40, 6) est in codice Harleiano 5642 membranaceo foliorum 47 saeculi X (b), quem primus inspexit Franciscus Rühl (cf. Fleckeiseni Annal. Supplem. VI a. 1872 p. 14 et Loewii Prodr. p. 207), postea accuratissime tractavit Krumbacherus cum in Actis acad. reg. bavar. 1883 II p. 193 sqq. tum Mus. Rhen. tom. 39 (a. 1884) p. 348 sqq. Qui codex continet haec hoc ordine: 1) fol. 1^r—4^r glossarium coniugationum exemplis refertum, cuius hoc est initium: *Incipit de oratore | menneme | me auton memini me ipsum | keopete et aliquando | tria biblia tres libros | tuto prota horum priores | kalistos optime | ke epimelos et diligenter | ermeneukota interpretatum | allepideoro sed quoniam video | enius epenuntas quosdam laudantes | ke epithimuntas et cupientes | rimata aneēta uerba quae pertinent | protesken ad artem | grammatischen grammaticam | en tuto biblia in hoc libro | proseteka adieci | apotu protu a prima | grammatos littera | mecriso usqueo | prasso ago | prassis | e. q. s., kategoresis accusabis | e. q. s., pimo bibo | e. q. s., ut alia mittam. Exemplorum minor pars concinit cum glossario Leidensi, maior ab eo discrepat: quae exempla non est cur typis repetamus. — 2) fol. 4^r—9^r nomina masculina primae declinationis secundum in c desinentia κυριος e. q. s. *Da similia Μακαριος . . . γυνη mulier γυναικος mulieris* e. q. s. (eadem codex Sangallensis p. 61—68 exhibet: ne haec quidem repetenda duxi). — 3) fol. 9^r—23ⁿ Dosith. p. 376, 1—387, 13 (praeter 379, 9—380, 2); 392, 4—401, 7; 402, 6—407, 13; 408, 25—411, 11; 412, 4—412, 28; 413, 14—414, 13; 417, 27—418, 23; 424, 10—424, 12; 426, 12—427, 19 ed. Keil. — 4) fol. 24^r—29^r Pseudosith. p. 26, 49—40, 6 huius editionis. — 5) fol. 29^r—33ⁿ Pseudodosith. p. 108, 1—116, 18. — 6) fol. 34^r Dositheii p. 379, 9—380, 2 ed. Keil. fol. 34ⁿ scripturam continet nullam. — 7) fol. 35^r—39ⁿ Dosith. p. 430, 1—436, 14. — 8) fol. 39ⁿ—47^r Pseudodosith. p. 10, 5—26, 48. — 9) fol. 47ⁿ preces graeco sermone compositas, de quibus cf. Krumbacherus Mus. Rhen. tom. 39 (a. 1884) p. 358. Miro igitur modo singula confusa atque disiecta esse apparet. — Ceterum hunc codicem in coenobio Sancti Galli scriptum esse summus inter ipsum et Sangallensem consensus docet: tamen iam ante annum 1461 ablatum fuisse catalogus hoc anno scriptus ostendit qui unum tantum-*

modo librum Dosithei (scil. 902) enumerat: cf. Krumbacherus l. s. s. p. 349. — Huius igitur libri collationem mihi tradidit Krumbacherus, qui cum initio etiam minores discrepantias notavisset postea discrepantias mere orthographicas plerumque neglexit: ipse eius adnotata fideliter expressi, nisi quod compendia usitiora imitari nolui.

Multo minorem hermeneumatōn partem (= p. 26, 49—37, 55) servavit codex Monacensis lat. 601 (c) membranaceus saeculi X, olim Schedelii, in quo praeter Dosithei grammaticam etiam Pseudodositheana hermeneumata inesse post Ruehlium l. s. s. docuit Loewius Prodr. p. 207. Accurate tractavit codicem Keilius praef. p. 366, cuius haec sunt verba: 'ad eundem codicem' (h. e. qui Dositheum exhibet) 'pertinebat is quaternio qui nunc ante illos positus est fol. 59—66, qui in extrema pagina scriptum habet numerum VII. in hoc scripta est ultima pars glossarum, quae sunt in Sangallensi codice cum prima parte sententiarum et epistularum Hadriani, ἀρούρα *seges* τράκις *spica* — ὑδρεχοός *aquarius* ἀχθὺες *pisces*. θαυμαστόν ἐστιν *mirandum est* καὶ ἐπαινίτον *et laudandum* — βλέπε οὖν *vide igitur* ἰταχύον *ut celerius* Dosith. ed. Boeck. p. 20.' Hunc quoque librum olim Sangallensem fuisse et saeculo XV in manum Schedelii patricii Norimbergensis venisse probabilis est Krumbacheri coniectura: cf. l. s. s. p. 349. Partem glossarum Krumbacherus cum apographo suo Sangallensis codicis contulerat: ego ipsum codicem adhibui.

De ratione quae inter hos libros intercedit egregie disputavit Krumbacherus primum dissertationis pag. 35 sqq. tum eis quas commemoravi commentationibus; quem in universum secutus hoc esse stemma moneo:



Archetypus *x* utrum continuerit Dositheum necne incertum est; potuit in *a* non minus omitti quam addi in *y*. De *a* non est quod addam: unde qui transcripsit Vossianum num etiam additamenta illa (cf. p. VIII) petierit an aliunde habeat in medio relinquo. Ex codice *y*, in quo priorem locum tenuit Dositheus, posteriorem Pseudodositheus,

post iacturam haud parvam propagatus est Sangallensis; ex eodem fluxit z , postea nescio quomodo turbatus pristina quaternionum compage soluta: ex hoc denique exemplari codices Harleianus et Monacensis ducendi sunt. Glossarium codicis Harleiani (quod non edidi) et colloquium utrum iam in x vel y extiterit an in z demum pervenerit dubium est: at illud probabilius existimo.

§ 2. Ad hermeneumata Leidensia proxime accedunt ea quorum partem servavit codex Amplonianus maximae formae 10 membranaceus saeculi IX, quo de conferatur accurata Schumii descriptio catalogi p. 11. Praeter alia multa quae ad rem grammaticam spectant hic liber etiam hermeneumata exhibet in fol. 125^r—136^v: quorum prior pars ad ordinem alphabeti disposita est et multa coniugationis exempla praebet, altera capitulis discripta plerumque satis accurate respondet eis quae extant p. 7, 65—23, 24 huius editionis. Omnia latinis litteris scripta sunt. Apographon huius libri reliquit Loewius: plagulas denuo cum ipso codice contulit Gundermannus.

Persimilia ea fuerunt, ex quibus excerpta quaedam servavit codex Parisinus lat. 7683 (de la Mare 594. Regius 6116. 4) 49 foliorum chartaceorum Salmasii manu scriptus, de quo cf. Corp. gloss. vol. II praef. p. XIV sq. Continet praeter ea quae illic commemoravi 1) in fol. 24^{bis}—26^r varias lectiones in colloquium scholasticum (h. e. colloquium Einsidlense); 2) in fol. 27^r—39^v 'excerpta ex veteribus glossis Cl. Puteani' mere latinis; 3) in fol. 40^r—41^v sine inscriptione hermeneumata latinograeca (in his etiam fragmentum eiusdem colloquii, quod in codice Harleiano est: '*praeductal παράγραφος* in sermone quotidiano. *surge puer quid sedes tolle libros omnes latinos membranas et pugillares et locellum et praeductalem* in graeco' e. q. s.: unde pendet Salmasius Exercit. Plin. p. 917); 4) in fol. 42^r—47^v excerpta, de quibus agere coepimus. Pars excerptorum ad capitula spectat: *de ferreis, ex tit. de fictilibus, de scorteis, de studiis, de artificibus, de arboribus, de militia, de navigatione, de medicina*. Ex capitulo *de ferreis* haec petita sunt:

Acmun ferramentum

Sfura incude

Mylocopon malleus

Scalis marelum

Ypetion sarculum 5

Smilion subla

Grafion grafium

Macherion cultellum

Septimae glossae interpretamentum pro *Scarcellam* correctum est; in gl. 1—6 interpretamenta ad antecedentia lemmata semper spectare

lineolis indicatur. Quas glossas qui comparaverit cum 94, 7 sqq. codicis Amploniani, non poterit non de persimili cogitare recensione. Paulo post quaedam excerpuntur *'ex capite de carnibus, ex tit. περι αρχοντων'*, item sub finem libri *ἐκ τοῦ περι θεῶν, de deabus, de aedibus, περι ἑορτῶν, de spectaculis, ex tit. de ciuitate, ex cap. de uestimento, de purpura, de coloribus, de aureis, de argenteis, de uentis, ex lib. de membris humanis, ex titulo de natura, ex titulo de escis, de potione, de secunda mensa, de oleribus, de piscibus, ex titulo de auibus, ex tit. de quadrupedibus, de serpentibus, ex tit. de habitatione.* Capitulum *de argenteis* exscribo: *Secbe tornéuta uasa tornata. Xistota strigilata gegrymmena celata. fiale patena. mazonomos lanche. pinatio catillum. triblion parapsis. oxybafon acetabulum. cochlyoryx cocliarem. mystion ligula. libanotris turabolum. plitenchithes arecena. acratoforon mera-riolum:* quae conferantur cum eis quae p. 93 edidi. Fol. 44^r in superiore parte inscriptio est: *'Excerpta ex veteribus glossis'*. Haec excerpta ex lexico petita sunt, quod in Amploniano capitulis praemissum est, velut: *Chyriao sero est χειριζω. Chimazo hyberno. Chor-tasia saties. Charadra cancellum. one auctoritas. Psylliro publico. Psepholoro pauimento* e. q. s. In fol. 40 haec leguntur: *A musarum pro a musis in colloquiis ἀρξώμεθα οὖν ἀπὸ μουκῶν incipiamus ergo a musarum* e. q. s.: quae si ex eodem codice sunt deprompta, similia ibi extitisse censendum est atque p. 57, 41 sqq. Quod utut est, gemellus frater Amploniani fuit codex Salmasii, sed plenior quam ille. Cum tamen nihil ex illo servatum sit praeter excerpta cumque eadem materies in aliis exstet recensionebus, satis habui haec in praefatione tractavisse.

§ 3. Hermeneumaton similium, at diversae recensioneis disiecta membra sunt 1) fragmentum Parisinum (p. 94—108), 2) hermeneumatata Stephani (p. 347—379). Fragmentum Parisinum quod pertinet ad fabulas Aesopias et notissimum illum tractatum de manumissionibus (p. 48, 46—56, 27 hermeneumaton Leidensium) extat in codice Parisino lat. 6503 (Reg. 4950) miscellaneo: quae huc spectant folia 1—4 (238 × 338 mm.) membranacea sunt et binationem efficiunt. Scriptura noni saeculi est. In fol. 1^r margine superiore scripsit manus recens: *'Fragmentum glossarum gr. lat. (gr. lat. sup. scr.) veterum optimaе notae'*. Eadem manus in margine inferiore scripsit: *'Iac. Puteani. Cl. Fil.'* In fol. 4^v inferiore margine manus saeculi XVII scripsit: *'Faits par moy.'* Omnia unius manus sunt: neque vocabula distincta sunt neque enuntiata. Aliquot correctiones adiecit manus 2 saeculi X/XI, sed paucas. Hoc fragmentum accurate edidit Boucherius *'Notices et extraits XXIII 2'* p. 496 sqq.

doctis adnotationibus subiectis: hanc editionem denuo cum ipso codice contulit Gundermannus, a qua collatione mea pendet editio.

Tractatum qui est de manumissionibus etiam codex Leidensis Scaligeri 61 continet in fol. 92^r—95^r ac non modo eam partem quae est in codice Parisino (p. 102, 8—103, 7), sed etiam reliqua usque ad finem, quae illic interciderunt (p. 103, 8—108, 4). Cf. quae de hoc codice dixi vol. II praef. p. XVI. Inscriptio haec est: '*Veteris cuiusdam iuris auctoris fragmentum.*' Scaligeri apographo iam Roeverus passim in editione sua usus est, multo tamen illo accuratius Boeckingius, a quo pendent recentiores viri docti. Novum apographon quod ego adhibui confecit Gundermannus.

Error est Boeckingii (p. XXIV) 'ex cod. Scal. Latine sine inscriptione' Petrum Pithoeum hoc fragmentum ad calcem fragmentorum Papiniani, Pauli etc. (Lutetiae ex off. Rob. Stephani a. 1575) p. 113—115 edidisse: quem Scaligeri libro usum esse neque demonstrari potest neque probabile videtur. Neque sibi constat Boeckingius, qui quidem p. XXII dixerit: 'Mihi persuasi hoc Scaligeranum apographum aut ex eodem codice, ex quo Claud. Puteani exemplum (quod Pithoeus Latine edidit; cf. inf. p. XXIV) aut ex hoc ipso Puteano exemplo transcriptum esse'. Certe Pithoeus Claudii Puteani exemplum secutus est, ut ipse dicit in fine tractatus: 'Visum est etiam Puteano nostro hic adicere fragmentum illud Latinum toties a me laudatum, quod Graeculus magister Omeliis suis et graecae linguae exercitationibus inter alia quaedam ex aliis auctoribus initia librorum inseruerat. Graecam etiam interpretationem siquando usui esse posset, certis tantum locis in margine addere libuit satis persuasis haec potius ex Latinis Graeca facta: quamquam sunt et quaedam quae Graecismum magis referre videantur. Porro facile est deprehendere multa ab ipso interprete, plura fortasse a librario ommissa, quorum nos vacuum locum notula indicare satis habuimus, interea dum ex aliquo integriore exemplari ea iactura sarciatur' et in fine: 'Haecenus vetus exemplar. Quae sequebantur alterius plane erant generis, nec ad ius Ro: quicquam pertinebant.' In Pithoei igitur editione sola verba latina exhibentur; ex graeca versione pauca quaedam marginibus adiecta sunt omissis reliquis. Hac editione principe primus quantum scio accurate usus est Kruegerus in editione, ipse iterum inspexi adhibito exemplari Berolinensi. In priora parte, eadem quam etiam Parisinus exhibet, eas tantum lectiones adscripsi quae discedunt ab exemplari Scaligerano. — Iam vero quaerentibus nobis quae ratio intercedat inter Scaligeri apographum et illud Puteani exemplar, primum artissimo vinculo contineri ambo inter

se certum est: conspirant lectiones plurimae¹⁾, conspirant fere lacunarum signa. Haec signa Puteani esse, non Pithoei, huic argumentationi credes: quamvis plerumque congruant lacunarum signa, tamen interdum discrepant ita, ut non eidem, sed magis minusve vicino loco sint adscripta; cf. p. 104, 9; 105, 19; 107, 39. Quod cum ita sit, neque Pithoei editione usus est Scaliger (quod insuper ex omissis apud Pithoeum interpretamentis Graecis elucet) neque Pithoeus exemplo Scaligeri: immo uterque eodem exemplari, in quo lacunarum signa iam erant notata, scilicet apographo Puteani, non vetusto codice, quippe in quo illa signa fuisse non possint.

Nunc igitur eo pervenimus, ut quaeramus quae ratio inter codicem Parisinum et hoc exemplar Puteanum intercedat. Qua in quaestione neminem fugere potest, quam arta sit amborum necessitudo. Iam vero cum Parisinus codex mutilus sit — quattuor folia intima videntur fuisse quaternionis — cumque constet olim eum fuisse Claudii Puteani, dubitari vix poterit, quin fragmentum Leidense et Puteani ex hoc ipso codice nondum mutilato profluxerint: itaque paene certum est, quod coniecit Boucherius l. s. s. p. 528. Cf. etiam quae Kruegerus de hac re disputavit.

Eodem anno quo Pithoeus ex apographo Puteani fragmentum de manumissionibus ex officina Roberti Stephani edidit, Henricus Stephanus hermeneumata sua emisit, de quibus haec eius sunt verba in praefatione (p. 235): 'Sequentes vocum quarundam interpretationes in antiquis pergamenis depravatissime scriptas libuit superioribus adiicere: quod ex illis quoque nonnihil fructus percepturum te sperarem: praesertim quum ipse aliquem iam inde percepisse mihi viderer. Multa enim hic sunt (fateor) satis iam nota, atque adeo quae trivialia dici possint: sed non equidem omnia. Idemque in his interpretationibus quod in prioribus usuvenit alicubi, ut interdum quidem Latina vox Graecam non satis notam exponat, interdum vero Graeca Latinam vicissim explicet. Quin etiam quod variae ad eandem rem pertinentes appellationes in certa quaedam capita, velut in communes locos, redactae sint, eo gratius tibi glossarium istud fore putavi. Sed quum de una eademque re (verbi gratia de navigatione, de agricultura) in duobus eius locis agatur, et ita quidem ut in uno Latina, in altera Graeca vocabula praecedant, ego potius capita quibus eadem materia tractanda proposita est, simul ponenda, id est unum

1) Maxima discrepantia est p. 107, 17, ubi Pithoeus δὴ in margine adfert, Scaliger autem μὲντοι: sed facile est suspicari illud μὲντοι Scaligeri ex v. 15 profluxisse.

alteri subiungendum (apposita particula ITERVM) existimavi. Glossarium autem appellavi, quod unum exemplarium inscriptionem istam haberet, Glossarium beati Benedicti, abbatis Floriacensis. Quem titulum excipit hic, Liber primus Glossarum Graecarum. Primaque sunt haec verba, De conversatione, περί συναναστροφής. Conversatio, συναναστροφή. Dies, ημέρα. Sol, ήλιος. Ortus est, άνέτειλεν. Solis ortus, ήλιου άνατολή. Eadem vero in alio quoque exemplari habentur, non in principio tamen, sed circa medium: verum ibi ista praefixa sunt, 'Αρχώμεθα γράφειν όλης της ημέρας άναστροφήν. Quibus subiunguntur eadem illa verba, ημέρα, ήλιος, άνέτειλεν, etc. itidem praecedente ubique Latina interpretatione. Quin etiam in certum quendam librorum numerum haec vocum graecarum interpretamenta in exemplaribus illis dividuntur: cuius divisionis rationem minime habendam existimavi: ac ne habere quidem potui, quum nec omnia quae illis exemplaribus continentur, ederem, nec eundem (propter illam quam paulo ante attuli rationem) ordinem servarem. Illis quae dixi capitibus eos subiunxi locos qui sub quadam dialogi forma multa vocabula habent ad res in quotidiano sermone occurrentes pertinentia: quorum tamen nonnulla nequaquam passim occurrunt, sed potius pene sunt incognita: undecunque ab huius glossarii autore deprompta fuerint.' Duobus igitur exemplaribus usus est Stephanus: alterum ex his similem quamvis minime eandem materiem exhibuit atque codex Leidensis, alterum plerumque proxime accedit ad fragmentum Bruxellense nisi quod ibi graeca praecedunt latinis (p. 394 sqq. quo de post agetur). De capitulis non habeo quod addam.

Quae post capitula habentur ex eis prima homilia persimilis est eius quae in codice Leidensi ultimum locum occupavit, nisi quod posterior pars hic intercidisse videtur. Neque minus memorabile est, quod sententiae Hadriani et belli Troiani succincta narratio in utroque libro exstat. Iam vero cum in codice quo usus est Stephanus latina vocabula pariter praecedant graeca atque in libro Puteano, cum porro liber Puteanus et fabularum et fragmenti de manumissionibus diversam recensionem exhibeat, sed eandem cum Leidensi rem, cumque codex Puteanus etiam alia continuerit teste Pithoeo, Stephanus vero non omnia quae in suo libro invenit ediderit, cum denique eodem anno in eadem officina Pithoei liber et Stephani glossaria excusa sint: me iudice mirum esset, si Stephanus et Puteanus eodem libro, h. e. codice Parisino integriore quam nunc, non usi essent: quamvis Stephanum sua omnia ex illo libro sumpsisse — non loquor nunc de capitulis — minime adfirmaverim.

Notum est homiliam Leidensem numerari duodecimum librum (*incipit hermeneumata id est libri XII* p. 69, 39. 40): qua de re sic disputat Keilius p. 374: 'itaque si diversae partes, quae etiam praefationibus distinctae sunt, singulis libris tribuuntur, sententiae et epistulae Hadriani, fabulae Aesopi, commentarius de manumissionibus, Hygini genealogia, narratio de bello Troiano, cotidiana conversatio cum duobus libris glossarum efficiunt numerum octo librorum. inter genealogiam autem Hygini in codice lacuna est, in qua, nisi quid praeterea a librariis omissum est, quattuor libri, qui ad summam explendam desiderantur, perire potuerunt.' Quae recte disputata esse nemo negabit: quid si quattuor illos tractatus, quos Stephanus exhibet, id est Niciarii interrogationes et responsiones (mutilatas in fine), Carfilidis interrogationes et responsa, responsa sapientum, praecepta in Delphis ab Apolline in columna scripta, in hac lacuna olim exstitisse suspicamur?

§ 4. Sed haec hactenus: restat ut editiones horum hermeneumaton vel partium eorum hoc loco in uno conspectu ponamus.

1) *Glossaria duo e situ vetustatis eruta* e. q. s. Anno 1573 Parisiis ed. H. Stephanus p. 237—305; quae repetivit Vulcanius a. 1600 (a Vulcanio pendet Verweius Nov. Method. p. 317 sqq.), Labbaeus (cuius liber prodiit a. 1679) lexicis suis inseruit nota E usus: hunc secuti sunt Londinenses a. 1816.

2) Tractatum de manumissionibus ex codice Puteano edidit primus P. Pithoeus ad calcem *Fragmm. Papiniani, Pauli etc.* (Lutetiae ex officina Rob. Stephani) a. 1573 p. 113—115: quod exemplum saepius repetitum est; cf. Boeckingius p. XXIV sq.

3) Idem fragmentum ex codice Leidensi adhibito Scaligeri apographo edidit Matthias Roever: *Fragmentum veteris jurisconsulti de iuris speciebus et de manumissionibus quod servavit Dositheus magister in exercitationibus graeco-latinis nondum editis ex codd. mss. bibliothecae Batavae edidit, notas, et emendationes adjecit Matthias Roever* (Lugd. Batav. a. 1739). A Roeveriano exemplo pendent Beckius (*Ius civ. anteius. Berol. 1815 tom. I p. 251 sqq.*) et Schillingius (in *Dissert. crit. de fragm. iur. Rom. Dosithe. Lips. 1819*).

4) Hygini genealogiam tractavit Augustinus van Staveren in *Misc. Observ. tom. IX p. 413 sqq.*: cf. editio Schmidtii p. IV sq.

5) Divi Hadriani sententias et epistolas ex codice Sangallensi edidit Melior Hamenvelto Goldastus a. 1601; eius exemplar repetierunt Schultingius (*Iur. prud. vet. L. B. 1717 p. 857 sqq.*), Fabricius in *bibl. Gr. (a. 1724) vol. XII p. 514 sqq.*; Fabricium repetierunt Londinenses in Labbaei glossariis denuo

editis (a. 1816) p. 491 sqq.: cf. etiam Divi Adriani sententias et epistolas ed. Nic. Catharinus, quem librum ipse non vidi.

6) Fabularum Aesopiarum primam cum duabus ultimis edidit Valckenarius in Misc. Obs. tom. X p. 120 sqq. ex codice Leidensi, particulam primae quae in libro Sangallensi est Goldastus l. s. s.

7) Dosithei Magistri interpretamentorum liber tertius. ad fidem manu scriptorum Vossiani Sangallensis et Scaligerani atque editorum librorum ope nunc primum integrum edidit commentariis indicibusque instruxit Eduardus Boecking. Bonnae 1832.¹⁾

8) Corpus Iuris Romani Anteiustiniani consilio professorum Bonnensium E. Boeckingii, A. Bethmann-Hollwegii, E. Puggaei Bonnae 1831 (insunt sententiae et epistolae Adriani et disputatio forensis Boeckingio explicante et praefante).

9) A. Boucherie, 'Ἑρμηνεύματα καὶ καθημερινὴ ὁμιλία de Iulius Pollux' accedunt 'Fables d'Ésope et fragment de droit Romain' in 'Notices et Extraits' tom. XXIII 2 p. 309—527 (a. 1872).

10) Otto Jahn, Griechische Bilderchroniken. Bonn 1873 p. 102—111. 121—122. Inest belli Troiani enarratio et pars colloquii alterius ab H. Stephano editi.

11) Fragmenti de manumissionibus contextum latinum ediderunt Huschkius 'Iurisprud. anteiust. quae supers.' Lips. 1879 p. 424 sqq. et Kruegerus 'Collectio libr. iur. anteiust.' vol. II p. 151 sqq. Ille Boeckingii apparatus exscripsit, Kruegerus etiam Boucherii editione usus est; praeterea scripturas Pithoei adiecit.

12) Colloquium Harleianum ipse emendatum edidi in Ind. aestiv. Ien. a. 1892 p. III—XVI.

II

§ 5. Secuntur hermeneumata Monacensia, quibus pro fundamento est codex latinus Monacensis 13002 (Ratisbon. 2) membranaceus 229 foliorum formae maximae, scriptus in coenobio Pruingensi sub Erbone abbate ab H. Wolfgero et Swichero a. 1158. Post glossarium Salomonis, de quo cf. Deuerlingius 'Blätter f. d. bayer. Gymnasial- und Realschulwesen' tom. XIV (a. 1878) p. 287, in foliis 209^r—218^r ea exstant de quibus agimus hermeneumata. Cf. Catal. cod. lat. Monac. tom. IV 2, 91. Quem librum cum iam Loewius inspexisset, id quod obiter tetigisse videtur Prodr. p. 207, accuratius tractavit Krumbacherus dissert. p. 20 sqq. et in dispu-

1) A Boeckingio pendet Lachmannus in disputatione de Dositheo scripta: cf. Opusc. vol. II p. 196 sqq. Cf. etiam Vlpiani fragm. ed. Boecking a. 1855.

Corp. gloss. lat. tom. III.

tatione de colloquiis Monacensibus Commentationibus in honorem Guilelmi Christ scriptis inserta (p. 307 sqq.). Apographon mihi tradidit idem, quod per adulescentes duos faciendum curaverat: cum tamen liberalitate Laubmanni fieret, ut Ienam transmitterentur Pseudodositheana Monacensia omnia, quo magis errores evitarentur, integra hermeneumata transcripsit Gundermannus; idem schedulas cum codice denuo contulit.

Praeter hunc librum editioni adhibui codicem latinum Monacensem 22201 (Windberg. 1000) membranaceum formae maximae anno 1165 ad finem perductum, qui post glossaria Salomonis (de quibus cf. Deuerlingius l. s. s.) eadem continet hermeneumata in fol. 223^r—235^v. De reliquis cf. catalogus tom. IV 4, 28. Huius quoque codicis collationem Krumbacherus mihi tradidit: tutius tamen visum est, librum ipsum adhibere, quod Ienae fieri potuit.

De ratione quae inter hos libros intercedit optime egit Krumbacherus l. s. s. Vterque igitur codex ex eodem — vel persimili — pendet archetypo, minusculis eo litteris scripto: unde maiore cura propagatus est codex 13002 ab homine quodam indocto, sed diligenti, qui oculorum vel calami lapsu saepius erravit, de industria vix quicquam mutavit. Minore cura et maiore libertate librarius codicis 22201 usus formas vulgares saepius expulit, vocabula rara aut sibi quidem ignota usitatis tritisque commutavit, hic illic lectionem corruptam recte emendavit. Quod graeca latinis scripserunt librarii litteris, eius rei usum iam antiquiorem ipso horum librorum archetypo esse corruptelis quibusdam efficitur, de quibus cf. Krumbacherus p. 27 sq. Codex 22201 saepius correctus est ab homine indocto, qui usus videtur esse codice 13002. Germanica quae occurrunt in utroque libro vocabula, de quibus consulendi sunt Steinmeyer et Sievers primo glossarum germanicarum volumine, indicio sunt in Germania iam archetypum esse confectum. Errorum igitur genera principalia tria esse scito: primum natum est tempore quo et graeca et latina maiusculis litteris scripta erant; alterum accessit tempore quo graeca litteris maiusculis latinis transcribebantur: tertium denique cum maiusculis litteris minusculae substituebantur.

§ 6. Praeter eos quos in editione adhibui codices etiam alii noti sunt, quorum tamen lectionibus apparatus onerari nolui. Primus est codex latinus Monacensis 27317 chartaceus saeculi XV exeuntis foliorum 21, quibus continetur hermeneumatōn maior pars, scilicet ab initio ad *Peritis dicis De causa*, h. e. p. 211, 53. Hic codex — olim libro impresso adhaerebat, scilicet glossarii Salomonis editioni monasterii S. Aefrae et Udalrici — quamquam ad neutrum

eorum quos tractavi librum revocari potest neque prorsus caret lectionibus quae illis praestant, tamen cum minus diligenter confectus sit et multa vocabula prorsus neglexerit, omitti potuit, in eis maxime capitulis, quorum praecipua materia toties in aliis recensionibus exhibetur. Cf. quae de hoc libro Krumbacherus l. s. s. exposuit.

Alterum eorundem hermeneumaton codicem in monasterio St. Crucis Austriaco invenit Arthurus Goldmann, numero signatum 17 et duodecimo saeculo scriptum. Hermeneumata exstant in fol. 1^r—22^r ab initio ad haec: *Ceeleonspanon et oleuspan, Congiloton Rapatum* (h. e. p. 218, 55; 56). A fol. 23^r ad 275^r exhibentur glossae Salomonis. Ex eis partibus quas descripsit Goldmannus perspexi codicem tam prope ad Monacensem lat. 22201 accedere, ut ab apparatu potuerit excludi.

Tertium exemplar codex exhibet Neapolitanus graecus II D 35 chartaceus saeculi XV/XVI, quem Vseneri excerptis adhibitis Schoenemannus tractavit ('de lexicographis antiquis qui rerum ordinem secuti sunt quaestiones praecursoriae'. ed. Bonnae a. 1886) p. 11 sqq., post Vsenerum autem denuo inspexit Gundermannus. Codex est 240 foliorum, quorum ultima septem vacua relicta sunt. Insunt 1) in fol. 1—28 varia collectanea grammatica, partim capitulis discripta, partim ad certas grammaticae partes, velut ad praepositiones, coniunctiones, adverbia, declinationes spectantia; admixta sunt christiana; 2) in fol. 37^r—43^v colloquium graecolatinum (h. e. hermeneumaton Einsidlensium p. 223—235), de quo infra agetur; 3) in fol. 44^r—50^v capitula eadem quae sunt in codice Einsidlensi sex priora praemisso indice LIX capitulorum (omissis igitur tribus ultimis christianis); 4) in fol. 51^r—81^v lexicon graecolatinum (*Αρχη principium* ατομος *individuus*, αρχομαι *incipio*, αλωπηξ *uulpes*, ακουω *audio*, ακολουθω *sequor* . . . ωριμος *maturus* ωμοσα *iuravi*, ωκεανος *oceanus*); 5) in fol. 83^r—120^r lexicon latinograecum verba tantum continens (*Absum, Abstineo* . . . *Voco, Vrgeo*); 6) in fol. 121^r—167^v lexicon latinograecum nomina continens; 7) in fol. 169 numeralia graece et latine; 8) in fol. 171^r—233^r capitula hermeneumaton Monacensium quamvis non integra et retractata: id quod primus perspexit Schoenemannus l. s. s. p. 34. Namque vir doctus decimi quinti vel sexti saeculi graeca graecis litteris transcripsit et tam graeca quam latina suo fretus ingenio correxit. Quod cum ita sit, neque capitulorum indicem neque capitula quae Schoenemannus exhibet repetere visum est. Cuius interest accuratiora nosse illius libellum adeat: ad emendationem hermeneumaton Monacensium hanc recensionem adhiberi non posse mihi persuasum est.

Quartum exemplum est in codice Monacensi graeco 323 saeculi XVI, chartaceo, olim Elbersbergensi, qui fol. 202^r—204^a 'prae-fatiunculam et colloquium scholasticum quae interpretamentorum Monacensium primum librum praecedunt', fol. 205—207^r 'excerpta ex hoc ipso primo libro', fol. 208^r—214^r 'librum tertium Interpretationum Monacensium i. e. colloquium' continet. Graeca graecis litteris scripta sunt, interdum etiam Latina. Hunc quoque librum Ienae inspiciendi potestas fuit: neque tamen quicquam inveni, quo uti potuerim. Krumbacheri de hac quaestione iudicium (cf. dissertationis appendicula) a meo discrepat.

Colloquia ex his hermeneumatis excerpta peculiari editione tractavit Krumbacherus in Comment. in honorem Christii scriptis p. 307 sqq.

§ 7. Pergo nunc ad hermeneumata Einsidlensia: quae etsi cum Monacensibus arte cohaerent, tamen seorsum tractanda sunt. Einsidlensia haec hermeneumata inscripti a codice Einsidlensi 19 (124), quem editioni fundamentum esse volui. Accurate hunc librum descripsit Henricus Omont 'Centralbl. f. Bibl.' III p. 428. Scriptus est anno 1503 et continet praeter alia 1) capitula Pseudodositheana in fol. 156^r—245^r; 2) colloquia Monacensia in unum coniuncta in fol. 285^r—290^r. Praecedunt graeca verba, sequitur versio latina; inter ipsos versus graecos denuo versio latina inserta est. Eadem colloquia, non capitula, etiam in codice Einsidlensi 683 exstant, sed graece tantum, latina versione aliquoties singulis vocabulis adiecta. Scriptus est haec libri pars a. 1518. De reliquis quae insunt cf. Henricus Omont l. s. s. p. 428. Vtrumque librum Ienae cum Gundermanno excussi.

Tertius colloquiorum codex est Parisinus latinus 3049 (Tel-leriano-Remensis 88; Regius 3396) chartaceus 116 foliorum, scriptus a Georgio Hermonymo Spartano (cf. H. Omont, Mém. d. l. Soc. de l'Hist. de Paris XIIa a. 1885 p. 33). Pseudodositheana insunt fol. 80^a—116^a, unde edidit Boucherius l. s. s. p. 478—494: quam editionem Gundermannus denuo cum ipso codice contulit. Miram habet inscriptionem: Πολυδεύκουσ περι καθημερινῆσ ὁμιλίασ *Pollucis de quotidiana locutione*, qua abusus est Boucherius.

Quartum exemplar codex est Neapolitanus graecus II D 35 quem supra tractavi: qui liber praeter colloquia illa etiam capitulorum priora sex exhibet. Vsus sum partim Gundermanni excerptis, partim eis quae Schoenemannus l. s. s. edidit.

Quintum denique exemplar codex est Florentinus Ashburnhamensis 1439 chartaceus saeculi XV. In primo folio legitur hoc:

Vocabula excerpta ex Iulio polydeuca greca et latina; secuntur colloquia. Post haec scriptum est: Πῆναξ τοῦ παρόντος λεξικοῦ e. q. s., dein inscriptiones capitulorum LIX eadem quae in Neapolitano sunt. Secuntur ipsa capitula, non LIX, sed etiam quattuor quae illis in Einsidlensi subiuncta sunt, in his capitula christiana tria. Denique etiam lexicon inest, quod concinere cum lexico Neapolitano suspicor. Feliciter accidit, ut post capitulum XXXII nomen suum posuerit scriptor; ibi enim legitur: *Marsilius Ficinus scribebat Florentiæ*. Ex hoc libro nihil habeo nisi excerpta quaedam Gundermanni.

Sextum exemplar illud erat quo usus est Beatus Rhenanus in edendo cottidiani colloquii libello (Basileae Nonis Novembribus a. 1516), h. e. in eis quae tractamus colloquiis. In epistula dedicata ipsi opusculo praemissa haec dicit Beatus Rhenanus: 'Porro cum Ioannes Frobenius Lovaniense exemplar suis typis esset imitaturus hoc familiaris colloquii συγγραμμάτων adiendum putavi, quo tibi qui nuper Graecari coepisti, et tyrunculis quibusque Graecanicae literaturae studiosis gratificarer. Nam tale quippiam a me nuper exigere visus es cum istac iter facerem, nimirum quo possis cum socio studiorum tuorum Barptolomaeo Villingiacensi de rebus familiaribus graece colloqui. Id quod hic libellus te nonnihil edocebit, iam olim a studioso quopiam Graece ac Latine mediocriter callente e dictionariis non infeliciter omnino concinnatus. Atque, ut rem intelligas, is, quisquis fuit, opusculum consarcinavit tribus distinctum libris ceu praefatiuncula, quae huic libello praeponi solet, rectius in operis frontispicio collocanda, testatum reliquit. Primo uocabula complexus iuxta capita rerum instar Iulii Pollucis, hunc in modum, θεῶν ὀνόματα, hoc est, Deorum nomina. περὶ τῶν ἐν τῷ ἄδῃ, hoc est, De hiis quae apud inferos, περὶ θεοσεβείας, hoc est, de religione. περὶ ναῶν ἱερῶν, hoc est, de aedibus sacris, et sic deinceps. qui liber etiamnum extat, utinam tam doctus quam certe posset esse studiosis omnibus utilis, si foret castigatus. Secundo dictiones iuxta seriem elementariam digessit. Tertio vocabulorum usum docet, orationem ex illis contextens, quem nunc in publicum damus.' Ex quibus verbis multa et utilia discimus: 1) probabile fit Hermonymi inscriptionem, quae etiam in codice Florentino est et in Einsidlensi primo, ex praefatione illius anonymi, cui haec recensio debetur, natam esse affirmantis sese 'instar Iulii Pollucis' verba capitibus distinxisse; 2) neque enim Iulius Pollux haec hermeneumata composuit, sed 'studiosus quidam Graece ac Latine mediocriter callens'¹⁾; 3) huius exemplari

1) Opportune monuit Hauptius Opusc. II p. 442 a Raphaelae Volaterrano Commentariorum urbanorum libro IV p. 56 primae editionis inter libros

usus esse videtur Beatus Rhenanus; in eis libris qui nunc exstant nullus est, in quem verba Beati Rhenani apte conveniant; 4) triperitum fuit illud exemplar primo loco capitula, altero lexicon, tertio colloquia complexum; 5) 'e dictionariis' illud exemplar 'non infeliciter omnino concinnatum' erat.

Septimo exemplari utrum Vulcanius usus sit qui eadem in Thesauri utriusque linguae ante Onomasticon edidit ommissa praefatiuncula, an a Beato Rhenano pendeat incertum est. Nam quamvis discrepet contextus Vulcanii a Beato Rhenano singulis quibusdam lectionibus, tamen per se non improbabile est, ex coniecturis has discrepantias esse repetendas. Quas si dempseris, tanta est ceterarum lectionum concordia, ut mirum videretur, si ex Beati Rhenani editione non penderet Vulcanius. Cf. Krumbacherus l. s. s. p. 53 sqq.

§ 8. Ex his quos tractavi codicibus pessimus est Parisinus, quippe qui multa non e vetusto fonte, sed ex arbitrio Hermonymi ficta exhibeat et neglegenter insuper scriptus sit, id quod recte monuit Schoenemannus p. 15. Codex Marsilii Ficini, qui quidem ceteris aetate praestat, satis prope ad Einsidlensem 19 accedere ex paucis quae mihi praesto sunt excerptis intellexisse mihi videor. Idem cadit in codicem Neapolitanum, quamquam in nonnullis discrepat. Contra Einsidlensis 683 tantopere cum Beato Rhenano concinit, ut ex eodem fonte repetendus sit; minus probabile est, ab ipso Beato Rhenano eum pendere.

Quam recte dixerit Beatus Rhenanus auctorem horum hermeneumatōn e dictionariis sua concinnasse facile apparet. Nam etsi pro fundamento sunt hermeneumata Monacensia, quibus satis licenter usus est anonymus omissis eis quae non intellexeret, aliis audacter mutatis et adeo corruptis, tamen etiam aliunde exemplar suum ditavit, idque inprimis ex copiis Pseudocyrilli. Compara sis exempli causa capitulum quod est de diebus festis (p. 239, 23 sqq.) cum hermeneumatis Monacensibus (p. 171, 35 sqq.): quae non e Monacensibus petita sunt, eorum maior pars ex Pseudocyrillo pendet; alia ex utroque fonte sunt contaminata, unde dici nequit quam ridiculi errores procreati sint. Hinc corrigenda sunt quae de hoc lexico exponit Schoenemannus p. 41 sqq., 115; qui deceptus ordine capitulorum a vero iudicio ita aberravit, ut hoc opusculum pessimum reliquis eiusdem generis anteponeret, quippe quod a pristina forma propius abesset.

anno MCCCCLXXXIII in monasterio Bobiensi repertos memorari librum persimilem 'Iulio Polluci de vocabulis rerum', sed hoc ampliorem: Latina Graecis vocabulis respondisse.

Quae cum ita se habere intellexissem, diu mecum meditatus sum, quid illi anonymi operi facerem. Lexicon illud in solis codicibus Neapolitano et Florentino traditum facile excludi potuit: reliqua tamen omnino abicere non ausus sum, cum ad codicum Monacensium contextum emendandum non pauca inde peti possint haudquam vilia. Iam vero dubitari potuit, quam editionis rationem sequerer. Potui librorum scripturam repraesentare emendatione adhibita nulla; potui emendatam formam cum apparatu proponere. Hoc quominus facerem eo impeditus sum, quod saepissime non modo ipsius anonymi scriptura corrigenda fuisset, sed etiam ipsorum fontium. Quid enim facerem eis mendis quae ex Pseudocyrillo vel ex fonte principali recepta sunt? Talia corrigere ars me vetuit. At non magis potui a me impetrare, ut omnes errores velut menda per pronuntiationem procreata, accentus male positos vel omissos, alia levidensia in hoc novicio opusculo propagarem. Qua difficultate permotus mediam quandam viam ingressus sum: abstersi codicis Einsidlensis quem pro fundamento esse volui, maculas leviores plurimas nulla adnotatione addita, omisi genetivos constanter vocabulis subiectos, abieci haud paucas adnotationes marginales, correxi accentus. Vbi gravior discrepantia visa est, scripturam libri Einsidlensis apparatui inserui: saepius ubi propter fontium rationem correctione abstinui fontis locum indicavi.¹⁾

Quibus expositis restat, ut editiones quibus colloquia cum praefatione continentur paucis commemorem. Princeps igitur editio ea est, quam Beatus Rhenanus anno 1516 emisit (cf. p. XXI): quae saepius repetita est: 1) 'Colloquiorum familiarium incerto auctore libellus graece et latine, non pueris modo sed quibusvis, in cottidiano colloquio, graecum affectantibus sermonem, impendio futurus utilis.' Lovanii apud Theodoricum Martinum. Mense aprili. MDXVII (cf. Massebieau 'Notices et Extraits' XXVII 2 p. 458: ipse editionem non vidi). — 2) 'Familiarium colloquiorum formulae, graece et latine, Cebetis dialogus' e. q. s. Basileae. MDXLII. ed. Albanus Torinus (cf. Massebieau l. s. p. 461). — 3) Familiarium colloquiorum formulae,

1) Paucula quaedam me invito relicta sunt quae ex ratione mea relinquere non debui: quae hoc loco addo. P. 235, 22 scr. ζυδίων; ibid. 48 scr. κυνηγετίας; 236, 1 scr. ἀμπελώνος; p. 241, 67 scr. ζυδίων; p. 245, 64 εὐλιγέ; p. 248, 81 πλευρόν; quorum si quae similia invenientur, benevole lector corrigat. — Ceterum similia hermeneumata nescio an ante oculos habuerit qui colloquia novicia codicis Paris. gr. 2885 fol. 163^v—167^v composuit: 'Ἀρχὴ τὸν θεῶν ἀγίῳ τῆς καθημερινῆς ὁμιλίᾳς. Θεὸς πάντων . . . ἐγὼ ἐπιθυμῶ ἵνα μάθω τὴν τῶν Ἑλλήνων γλῶτταν κτλ.: quae colloquia mihi indicavit Krumbacherus.

græce et latine. *Cebetis Philosophi Thebani dialogus* e. q. s. Antverpiae, in aedibus Ioannis Steelsii. a. MDXLVII (cf. Boucherius l. s. s. p. 461).

Praeter hanc editionem commemorandus est Bonaventurae Vulcanii Thesaurus, quem colloquia omissa praefatiuncula continere supra dixi, repetita in Labbaei glossariorum editione Londinensi (a. 1816); porro Boucherii editio in 'Notices et Extraits' tom. XXIII 2, p. 478 sqq. (cf. tom. XXVI I2, p. 457 sqq.); denique Hauptii recensio in indice lectionum hibernarum a. 1874 = Opusc. vol. II p. 508 sqq.

III

§ 9. Quae secuntur hermeneumata Montepessulana ex uno codice Montepessulano H 306 saeculi IX edita sunt. Codex est membranaceus 220 foliorum (165 × 230 mm.), ex variis partibus compositus. Continet haec opuscula: 1) fol. 1^r et 1^v, 2^r recensum eorum quae insunt recenti manu scriptum; 2) fol. 2^v *Ad te leuavi animam meam* (saec. X); his subiecit manus saec. XIII: *hunc librum pro institutis in uadium habemus*; 3) fol. 3^r canticum latinum (*deus meus in te confido*) cum notis (saec. X); 4) fol. 3^v—5^v *Incipit ordo ad iudicium faciendum* e. q. s. (saec. X); 5) fol. 6^r—6^v *Adbreuiatio chronicae per VI aetates* (saec. IX); 6) fol. 7^r *Ratio quomodo feria qua dñs passus est inuenitur* (saec. IX); 7) fol. 7^r—8^r *De hebdomadibus LXX propheticis* (saec. IX); 8) fol. 8^r—8^v *Cur XIII luna paschalis intra XII kt e. q. s.* (saec. IX); 9) fol. 8^v carmina duo *de vita honesta et de feliciore priore aetate* (saec. IX); 10) fol. 9^r—10^v *Theodulfi episcopi Aurelianensis versus elegiaci de libris veteris et noui testamenti* (saec. IX); 11) fol. 10^v—11^v *versus Bedae de die iudicii* (saec. IX); 12) fol. 11^v—13^v *Incipiunt libri Catonis philosophi et versus de Philomela* (saec. IX); 13) fol. 14^r—14^v *Incipit praefatio Alchuini ad Karolum imperatorem in uetus et nouum testamentum* (saec. IX, sed alius atque antea manus); 14) fol. 15^r—19^v *Incipit Hortographia Capri* (saec. IX; cf. Keilius Gr. L. VII 92 sqq.); 15) fol. 19^v—21^r *In singularibus . . . manu recte* (saec. IX; cf. Keilius Gr. L. VII 107 sqq.); 16) fol. 21^r—27^r *epistola agroecii ad eucherium* (saec. IX; cf. Keilius Gr. L. VII 113 sqq.); 17) fol. 27^v *Incipit de orthografia Religio ideo . . . a frigendo. Finit feliciter* (saec. IX); 18) fol. 28^r—32^r *Differentiae* (saec. IX, sed alius manus quam antecedentia; cf. Hagen Anecd. Helv. 275—290; Beck, Sulp. Apoll., appendix); 19) fol. 32^r—32^v *Incipit de posituris* (saec. IX; cf. Keilius Gr. L. IV p. 372); *Somnior dicendum . . . non paupertate* (cf. Keilius Gr. L. VII 95, 1—3); *Baculum . . . balineum* (cf. Keilius Gr. L. VII 108, 7); *Cludes hae non hi . . . coturnices non coturnices* (cf. Keilius

10. Occasiones quaeris agere et nescis quod feriae pueros indoctos faciunt. ostende, uideam, quomodo scripsisti? bene ualde. dignus es uapulare. ecce, concedo tibi. hodie autem uade et prande et a prandio citius ueni. bonas horas. bene tibi sit.
11. Iterum dicam commixta et necessaria. est autem haec salutatio sermonum, interrogationes, maledicta et alia multa.
12. Domine, salue. saluus sis sem-

- φίλτατε. πῶς τὰ πράγματά σου; πάντα καλῶς; Ὡς οἱ θεοὶ θέλουσιν. Τί πράττεις νῦν; Ἐπραττον, νῦν δὲ χολάζομαι. Θέλω σοι ἐγχειρήσαι τὴν διοίκησιν πράξεως σου. ἄγωμεν. περιπάτει καὶ ἐγὼ δώσω σοι τί πράξῃς. πάντων γὰρ τῶν ἀγαθῶν ἄξιός εἰ.
13. Ἦσπαζόμεν σε τρίτῃ ἡμέρᾳ ἄνω ἐν τῷ ἱερῷ καὶ οὐ προσέχες. Κἀγὼ προσεκύνουν. Καὶ τὸν φίλον τὸν σὸν ἐύρων μετὰ σου.
14. Ὅρω ὅτι λουκάμενος ἐπὶ δεῖπνον ἀπῆρχου. Τί σέ; καὶ οὐ δύναμαι ἀντειπεῖν αὐτῷ. πολλὰ γὰρ εἶπέν μοι. ὑπάγω οὖν, ἵνα ταχέως ὑποστρέψω.
15. Ὑπαγε οὖν. τί ἔστηκας; δράμε οὖν καὶ εἶπε αὐτῷ, ἵνα μείνη με. ἔχω γὰρ αὐτῷ τίποτε εἰπεῖν. ἐκδέξομαι οὖν. πρῶτον εἰς τὴν οἰκίαν ἀνελεύσομαι. ἰδοὺ ὡδε καθεζόμενον. Τοῦτον ἐμὲ οἶδας. Ἄλλὰ ταχέως ἐποίησας ὁ σοι εἶπον. Οὐδέπω. Διὰ τί; Ἄρτι ποιῶ. σπεύδω γὰρ ἔξω. (πεινώ. εἰς γάμους. πρὸς φίλον. δέχονται με. ἵνα λούσωμαι).
16. Ὑπαγε οὖν. τί ἔστηκας; Τί σοι ἀνήκει; ἐπίτροπός μου εἶ; Ὑπαγε. ἀναχώρει (ἀναχωρήσεις), ἐπιθέτα. Λοιδορεῖς με, κάκιστε καὶ μιμητέ; αὐτὸς ταῦτα ποιεῖ, ἀναιδέστατε. αἰώπα. Καλῶς σοι εἶη, ἀναιδέστατε ἄνθρωπε. ταῦτα ἀκούσεται ὁ δεσπότης σου, εἰ ἀπαντήσῃ μοι.
17. Ἄφες, ἴδω τί μοι ποιεῖς; οὐ φροντίζω σου τὰς ἀπειλάς. Πολλὰ ἐκδικῶ, ἀφηλιτισμένε. ἐκεῖ τὰς χεῖρας ἔχε. Καὶ δέρεις με; φο-
- per, amantissime. quomodo res tuae? omnia bene? Quomodo dii uolunt. Quid agis modo? Agebam, nunc autem uacat mihi. Volo tibi iniungere administrationem actionis tuae. eamus. ambula et ego do tibi quid agas. omnium enim bonorum dignus es.
13. Salutabam te die tertio sursum in templo et non adtendebas. Ego adorabam. Et amicum tuum uidebam cum te.
14. Video quod lotus ad cenam ibas. Quid te? et non possum contra dicere ei. multa enim dixit mihi. eo ergo, ut cito redeam.
15. Duc te ergo. quid stas? curre ergo et dic illi, ut maneat me. habeo enim ei aliquid dicere. exspectabo ergo. primum in domum ibo. ecce hic sedentem. Talem me scis. Sed cito fecisti quod tibi dixi. Nondum. Quare? Modo facio. propero enim foras. (esurio. in nuptias. ad amicum. expectant me. ut lauem.)
16. Duc te ergo. quid stas? Quid tibi pertinet? procurator meus es? Duc te. recede (recedes), inpostor. Maledicis me, maligne et odiose? ipse ista fac, expudorate. tace. Bene tibi sit, nequissime homo. ista audiet dominus tuus, si obuiat mihi.
17. Sine, uideam quid mihi facis? non curo minationes. Multa uindico, desperate. ibi manus habe. Et caedis me? timeo. magna

- βοῦμαι. μεγάλη σου ἡ ἀξία. δύναμαί σε κἀγὼ δεῖραι, ἀλλὰ εὐλαβοῦμαί σε καὶ τὴν θείαν πρόνοιαν.
18. Λοιδορεῖς με, κακὴ κεφαλὴ; σταυρωθεῖς. Κακῶς ποιεῖς καὶ οὐκ οἶδας ὅτι οὐ συμφέρει σοι. Διὰ τί; Ὅτι ἐγὼ εὐγενὴς ἀνθρώπος εἰμι, σὺ δὲ ἀχρεῖος (δούλος.) Σιγὴν ἔχε. Θέλεις οὖν μαθεῖν. οὐκ εἰμί σοι ἴσος. Οὐκ, ἐπιθέτα; Θέλω μαθεῖν πότερον δούλος εἶναι ἢ ἀπελεύθερος. Οὐ δίδωμί σοι λογισμόν. Διὰ τί; Ὅτι οὐκ εἶ ἀξιος. Ἄγωμεν πρὸς τὸν κύριόν σου. Τυχόν. Ἐγὼ γὰρ εὐγενὴς πᾶσιν γνῶριμος καὶ οἰκοδεσπότης. Φαίνεται ἀπὸ τῆς ὄψεως σου. Ἀπέλθωμεν ἡμεῖς.
19. Ἐὰν ἔλθῃ Αὐρήλιος, μὴ ἐπιλάθῃ εἰπεῖν αὐτῷ, ὅτι ἐνταῦθα ἤμην. ἐκδέχου με.
20. Εὐχερῶς ἦλθας. ἐζήτουν σε, ὅτι ἐγένετό μοι κακόν.
21. Ἀπέλθωμεν, λουώμεθα. Ὅπου οὖν λουόμεθα; Ὅπου θέλεις. ὡς ἑορτὴ ἐστίν, ἔλαβον ἡμῖν λάχανα, τάριχον καλὸν καὶ ἰχθύας, ὀψώνια, κρέας, οἶνον ἡδὺν καὶ ὄρνεις. καλῶς ἔχωμεν. ἐγὼ εἰμι καὶ σὺ καὶ ἄλλοι δύο φίλοι. Ὅπου οὖν εὐφραίνομεν; Ὅπου θέλετε, κολληγίον γενέσθω. ἀλλὰ θέλομεν ἀπλουστάτως μεθ' ἡμῶν ἀνθρώπους ἀναψῦξαι (μετὰ τούτων σπαταλησάι). ὁ δὲ ἀδελφός μου παρητήσατο. ἔχθες γὰρ εἰς τὸ βαλανεῖον ἀηδῖαν ἐποίησεν ἀναγκασθεὶς ὑπὸ ἀνδρῶν μεθυστῶν καὶ δυσωπεῖται προελθεῖν.
22. Ἐὰν πάντα καλῶς, τὴν τρίτην ἡμέραν ἵππικός ἐστίν, καὶ μετὰ
- tua dignitas. possum te ego caedere, sed uereor te et diuinam prouidentiam.
18. Maledicis me, malum caput? crucifigaris. Male facis et nescis quod non expedit tibi. Qua re? Quoniam ego ingenuus homo sum, tu autem nequam seruus. Silentium habe. Vis ergo discere. non sum tibi par. Non, inpostor? uolo discere utrum seruus esse aut libertus. Non do tibi rationem. Qua re? Quoniam non es dignus. Eamus ad dominum tuum. Fortasse. Ego enim ingenuus omnibus notus et pater familias. Apparet a facie tua. Eamus nos.
19. Si uenerit Aurelius, ne obliuiscaris dicere illi, quia hic eram. expecta me.
20. Oportune uenisti. quaerebam te, quod factum est mihi malum.
21. Exeamus lauari. Vbi ergo lauamur? Vbi uis. cum dies festus est, acceperunt nobis olera, salsum bonum et pisces, stipendia, carnem, uinum suaue et gallinas. bene habeamus. ego sum et tu et alii duo amici. Vbi ergo potamus? Vbi uultis, collegium fiat. sed uolumus simplicissime nobiscum homines delectare (cum talibus conuersari). frater autem meus excusauit. heri enim in balneum rixam fecit coactus ab hominibus ebriis et confunditur procedere.
22. Si omnia bene, tertium diem circus est, et postea ludi gla-

ταῦτα θέατρα τῶν μονομάχων. καινότερον οὖν θεωρήσωμεν καὶ οὕτως μετὰ ἐκείνου λουώμεθα, ὅταν ἀπολύσωσιν θεωρίαί. Ὡς θέλεις.

23. Οὐκ ἔστιν οὗτος Λούκιος ὁ τὸ ἔμὸν ἀργύριον ἔχων; Ὅδε ἔστιν. Προσελθὼν οὖν ἀπάσομαι αὐτόν. χαῖρε, οἰκοδέσποτα. οὐδέπω δύναμαι λαβεῖν τὸ ἔμὸν ὃ μοι ὀφείλεις τοσοῦτω χρόνῳ; <Τί> λέγεις; μαῖνη. Ἐδάνεικά σοι ἀργύριον καὶ λέγεις μαῖνη; ἀποστερητά, οὐ γινώσκεις με; Ὑπαγε, ζήτηε τίνι ἐδάνεισας. ἐγὼ γὰρ οὐδέν σου ἔχω. [ἐκπλέκει.] Ὅμοσόν μοι. Ὅμνῶ ὅπου θέλεις. ἄγωμεν. Ὅμοσον ἐν τῷ ἱερῷ. Μὰ τὸν θεὸν τοῦτον, οὐδέν μοι ἔδωκας. Ἄρτι καλῶς, καὶ ἀμφοιβήτησιν ποιῆσαι οὐκ ἔστιν καλὸν ἐλευθέρῳ ἀνθρώπῳ καὶ οἰκοδεσπότη.

24. Καὶ λοιδορεῖ ὁ θηριομάχος; ἄφες ἐμὲ καὶ τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ ἐκτινάξω. Κἀγὼ σε ἐκτυφλῶ. Θεωρῶ τί μοι ποιῆς. Ἐγὼ σε ποιήσω εἰς φυλακὴν ἀπελθεῖν, ὅπου ἄξιός <εἶ> γηράσαι. Λοιδορεῖς με, φυλακίτα. οὐ φροντίζω σε. φίλον ἔχεις καὶ με εὐρήσεις ἔχοντα. Καλῶς λέγεις. ἰδοὺ συγχωρῶ σοι.

25. Ὑπαγε. ὁ δὲ ἀναγκαῖόν ἐστιν ταῖς γυναῖξιν, κἀγὼ *** ἕως ἐρχόμεθα, ἐψήσωσιν καὶ ἐπιμελῶς ἀρτύσωσιν. καὶ ἄρον ἡμῖν ἀλλάξιμα εἰς τὸ βαλανεῖον καὶ ἀνοιξον τὸ ἀρμάριον καὶ εὐρήσεις ἕως μαρσύπιον ἐν ᾧ ἔστιν ἀργύριον καὶ φέρεταχέως πρὸς τὸν τραπεζίτην.

diatorum. nouiter ergo spectemus et sic cum illo lauamur, quando dimittunt spectacula. Quomodo uis.

23. Non est iste Lucius qui meum aes habet? Hic est. Accedens ergo salutabo eum. aue, pater familias. nondum possum accipere meum quod mihi debes tanto tempore? Quid dicis? insanis. Feneraui tibi aes et dicis insanis? fraudator, non cognoscis me? Duc te, quaere cui fenerasti. ego enim nil tuum habeo. [explicatum est.] Iura mihi. Iuro ubi uelis. eamus. iura in templo. Per deum hunc, nihil mihi dedisti. Modo bene, et controuersiam facere non est bonum libero homini et patri familias.

24. Et maledicit bestiarius? mitte me et dentes eius excutio. Ego te excaeco. Video quid mihi facies. Ego <te> faciam in carcerem ire, ubi dignus es senescere. Maledicis me, custodite. non curo te. amicam habes et me inuenies habentem. Bene dicis. ecce concedo tibi.

25. Vade. quod necessarium est mulieribus, ego *** dum uenimus, coquant et diligenter condiant. et tolle nobis mutatoria in balneum et aperi armarium et inuenies intro saccellum in quo est aes et affer cito ad nummularium. [feliciter scripsi de

[εὐτυχῶς ἔγραψα περὶ ὁμιλίας sermone cotidiano.]
καθημερινῆς.]

26. Τί ἐστίν, ἀδελφε; διὰ τί οὐχὶ ἦλθες πρὸς τὸν ναόν; (εἰς τὴν οἰκίαν; πρὸς τὴν ἀγοράν; πρὸς τὸ ἀκροατήριον; πρὸς τὸν δικαστήν; πρὸς τὸν ὑπατικόν; εἰς τὴν πόλιν; εἰς τὸ χωρίον; πρὸς τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν;) ἐγὼ σε ὑπομένω καὶ διὰ σε βραδέως ἐδείπνησα.
26. Quid est, frater? qua re non uenisti ad templum? (ad domum? ad forum? ad auditorium? ad iudicem? ad consulariam? in ciuitatem? ad uillam? ad fratrem nostrum?) ego te sustinui et propter te tarde prandidi.
27. Ἄπελθε πρὸς τὸν ἀδελφὸν καὶ εἶπον αὐτῷ· τί σοι ἐποίησαμεν, ἴν' ἀμελήσῃς ἡμᾶς; ἐγὼ σε ἀγαπῶ. ἐγὼ σε φιλῶ, μὰ τὸν θεόν (μὰ τὸν οὐρανόν. μὰ τὸν ἥλιον. μὰ τὴν γῆν. μὰ τὴν σωτηρίαν μου). καὶ αὐτὸς οἶδας, ἐπειδὴ φίλος ἡμῶν <εἶ>.
27. Vade ad fratrem et dic ei: quid tibi fecimus, ut neglegas nos? ego te diligo. ego te amo, per deum. (per caelum. per solem. per terram. per salutem meam.) et ipse scis, quoniam amicus noster es.
28. Παιδάριον, ταχέως ποίησον καὶ ἄρον τὰ κάβανα, ἐπειδὴ λούεσθαι θέλω καὶ οὐδεὶς ἐστίν ὧδε τῶν παιδαρίων (τῶν ἀδελφῶν. τῶν φίλων. τῶν δούλων). διὰ τί ἐβράδυνες, ὅπου σε ἔπεμψα; τί ἔπραξας; πάντα καλῶς; Ἔδωκέν μοι ἐπιστολήν. Καὶ ὅπου ἐστίν; (Οὐκ ἔστιν ὧδε). Ὡδέ ἐστίν. Δὸς αὐτῇν, ἵνα καὶ ἴδω τί μοι ἔγραψεν. οὐδέν σοι εἶπεν; Οὐδέν.
28. Puer, cito fac et tolle sabana, quoniam lauare uolo et nullus est hic de pueris. (de fratribus. de amicis. de seruis.) qua re tardabas, ubi te misi? quid egisti? omnia bene? Dedit mihi epistolam. Et ubi est? (Non est hic.) Hic est. Da illam, ut et uideam <quid> mihi scripserit. nihil tibi dixit? Nihil.

III. COLLOQVIA MONACENSIA

1. Ἀγαθὴ τύχη [καὶ εὐτυχῶς]. ἐπειδὴ ὀρώ πολλοὺς ἐπιθυμοῦντας Ῥωμαϊστὶ διαλέγεσθαι καὶ Ἑλληνιστὶ μῆτε εὐχερῶς δύνασθαι διὰ τὴν δυσχέρειαν καὶ πολυπλήθειαν ῥημάτων, τῇ ἐμῇ κακοπαθείᾳ καὶ φιλοπονίᾳ οὐκ ἐφείραμην τοῦ μὴ
1. Bona fortuna [et feliciter]. quoniam uideo multos cupientes Latine disputare et Graece neque facile posse propter difficultatem et multitudinem uerborum, meo labore et industria non peperci, ut non facerem, ut in tribus

ποιῆσαι, ὅπως ἐν τρισὶν βιβλίοις ἐρμηνευματικοῖς πάντα τὰ ῥήματα συγγράψαι. πολλοὺς γὰρ ὄρω ἐπιχειρηκότας οὐ κατὰ τὴν ἀξίαν καθὼς αὐτὸ τὸ <πράγμα> αἰτεῖ, ἀλλὰ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας καὶ γυμνασίας ἕνεκα. οὕτως κενὴν καύχησιν ἀπὸ τοῦ πρώτου ἀπήνεγκαν μέχρι τοῦ ἐσχάτου, δι' ἣν αἰτίαν οὐ τολμῶ πλείονας λόγους ποιῆσαι, ἀλλὰ βούλομαι ἅπασιν φανερόν ποιῆσαι, μηδένα βέλτιον μῆτε <μᾶλλον> ἐξεζητημένον ἐρμηνεύσαι πλὴν ἐμοῦ ἐν τρισὶν βιβλίοις, ἃ συνέγραψα· ὧν <τοῦτο> πρῶτον ἔσται τῆς ἡμετέρας ἐρμηνείας. ἐν τούτῳ τῷ βιβλίῳ πάντα τὰ ῥήματα συνέγραψα κατὰ τάξιν στοιχείων ἀπὸ τοῦ πρώτου γράμματος μέχρι τοῦ τελευταίου γράμματος. νῦν οὖν ἄρχομαι γράφειν, ἐπειδὴ νηπίοις παισὶν ἀρχομένοις παιδεύεσθαι ἀναγκαῖον ἑώρων ἀκρόασιν ἐρμηνευμάτων ὁμιλίαις καθημερινῆς, δι' ἧς εὐχερέστερον Ῥωμαϊστὶ καὶ Ἑλληνιστὶ λαλεῖν προβιβασθῶσιν. τούτου ἕνεκεν διὰ βραχείων περὶ ὁμιλίας καθημερινῆς συνέγραψα, ἃ ὑποτεταγμένα εἰσὶν.

2. Ὅρθρου ἐρηγόρησα ἐξ ὕπνου· ἀνέστην ἐκ τῆς κλίνης, ἐκάθισα, ἔλαβον ὑποδεσμίδας, καλίγρια· ὑπέδηκάμην· ἤτησα ὕδωρ εἰς ὄψιν· νίπτομαι πρῶτον τὰς χεῖρας, εἶτα τὴν ὄψιν ἐνιψάμην· ἀπέμαξα· ἀπέθηκα τὴν ἐγκοίμητραν· ἔλαβον χιτῶνα πρὸς τὸ σῶμα· περιεζωκάμην, ἤλειψα τὴν κεφαλὴν μου καὶ ἐκτένισα· ἐποίησα

libris interpretamentorum omnia uerba conscriberem. multos enim uideo conatos esse non pro dignitate sicut ipsa res postulat, sed suae cupiditatis et exercitationis causa. sic inanem gloriam a primo abstulerunt usque ad extremum, propter quam causam non audeo plura uerba facere, sed uolo omnibus palam facere, neminem melius neque exquisitius interpretasse quam me in tribus libris, quos conscripsi; quorum hic primus erit nostrae interpretationis. in hoc libro omnia uerba conscripsi per ordinem litterarum a prima littera usque ad nouissimam litteram. nunc ergo incipiam scribere, quoniam paruulis pueris incipientibus erudiri necessarium uidebam auditionem interpretamentorum sermonis cottidiani, per quem facilius Latine et Graece loqui instruantur. idcirco paucis de sermone cottidiano conscripsi, quae subiecta sunt. [Huc usque prologus. Incipit ordo locutionum.]

2. Ante lucem uigilauī de somno; surrexi de lecto, sedi, accepi pedules, caligas; calciaui me; poposci aquam ad faciem; lauo primo manus, deinde faciem laui; extersi; deposui dormitoriam; accepi tunicam ad corpus; praecinxi me; unxi caput meum et pectinaui; feci circa collum pallam; indui me superariam albam;

περὶ τὸν τράχηλον ἀναβόλαιον. ἐνεδυσάμην ἐπενδύτην λευκόν· ἐπάνω ἐνδύομαι φελόνην· προήλθον ἐκ τοῦ κοιτῶνος σὺν τῷ παιδαγωγῷ καὶ σὺν τῇ τροφῷ ἀσπάσασθαι τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα. ἀμφοτέρους ἤσπασάμην καὶ κατεφίλησα· καὶ οὕτως καταβαίνω ἐξ οἴκου. ἀπέρχομαι εἰς τὴν σχολήν. εἰσῆλθον· εἶπον· χαῖρε καθηγητά, καὶ αὐτός με κατεφίλησεν <καὶ> ἀντησπάσατο. ἐπιδίδωσίν μοι ὁ παῖς ὁ ἐμὸς καμπροσφόρος πινακίδας, θήκην γραφείων, παραγραφίδα. τῷ ἐμῷ τόπῳ καθημένος λειαίνω. παραγράφω πρὸς τὸν ὑπογραμμόν· γράφας δὲ δεικνύω τῷ διδασκάλῳ· ἐδιώρθωσεν, ἐχάραξεν· κελεύει με ἀναγινώσκειν. κελευσθεὶς ἄλλω δέδωκα. ἐκμανθάνω ἐρμηνεύματα, ἀπέδωκα. ἀλλ' εὐθέως ὑπαγόρευσέν μοι συμμαθητής. Καὶ σύ, φησιν, ὑπαγόρευσόν μοι. εἶπον αὐτῷ· Ἀπόδος πρῶτον. καὶ εἶπέν μοι· Οὐκ εἶδες, ὅτε ἀπεδίδων πρότερόν σου; καὶ εἶπον· Ψεύδη, οὐκ ἀπέδωκας. Οὐ ψεύδομαι. Εἰ ἀληθῆ λέγεις, ἀναδίδωμι. ἐν τούτοις κελεύσαντος καθηγητοῦ ἐγείρονται οἱ μικροὶ πρὸς τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς συλλαβὰς κατέλεξεν τούτοις εἰς τῶν μειζόνων, ἄλλοι πρὸς τὸν ὑποδιδακτὴν τάξει ἀποδιδούσιν, ὀνόματα γράφουσιν, στίχους ἔγραψαν, καὶ ἐγὼ ἐν τῇ πρώτῃ τάξει ἄμιλλαν ἐξέλαβον. ἔπειτα ὡς ἐκαθίσαμεν, διέρχομαι ὑπομνήματα, γλώσσας, τέχνην. φωνηθεὶς πρὸς ἀνάγνωσιν ἀκούω ἐξηγήσεις, διανοίας, πρόσωπα.

supra induo paenulam; processi de cubiculo cum paedagogo et cum nutrice salutare patrem et matrem; ambos salutavi et osculatus sum; et sic descendi de domo. eo in scholam. introiui, dixi: Aue magister, et ipse me osculatus est <et> resalutavit. porrexit mihi puer meus scriniarius tabulas, thecam graphiariam, praeductorium. loco meo sedeos deleo. praeduco ad praescriptum; ut scripsi, ostendo magistro; emendavit, induxit; iubet me legere. iussus alio dedi. edisco interpretamenta, reddidi. sed statim dictavit mihi condiscipulus. Et tu, inquit, dicta mihi. dixi ei: Redde primo. et dixit mihi: Non uidisti, cum redderem prior te? et dixi: Mentiris, non reddidisti. Non mentior. Si uerum dicis, dicto. inter haec iussu magistri surgunt pusilli ad subductum et syllabas praebuit eis unus de maioribus, alii ad subdoctorem ordine reddunt, nomina scribunt, uersus scripserunt, et ego in prima classe dictatum excepi. deinde ut sedimus, pertranseo commentaria, linguas, artem. clamatus ad lectionem audio expositiones, sensus, personas. interrogatus artificia respondi. Ad quem, dixit. Quae pars orationis? declinaui genera nominum, partiui uersum. ut haec egimus, dimisit ad prandium. dimissus uenio domi. muto, accipio panem candidum, oliuas,

ἐπερωτηθεὶς τέχνην ἀπεκρίθη. Πρὸς τίνα, λέγει. Τί μέρος λόγου; ἔκλινα γένη ὀνομάτων, ἐμέρισα στίχον. ὡς δὲ ταῦτ' ἐπράξαμεν, ἀπέλυεν εἰς ἄριστον. ἀπολυθεὶς ἐπανερχομαι ἐν τῷ οἴκῳ. ἀλλάσσω, λαμβάνω ἄρτον καθαρὸν, ἐλαίας, τυρόν, χράδια, κάρυα. πίνω ὕδωρ ψυχρόν. ἠριστηκῶς ἐπανερχομαι πάλιν εἰς τὴν σχολήν. εὐρίσκω καθηγητὴν ἐπαναγινώσκοντα, καὶ εἶπεν· Ἄρξασθε ἀπ' ἀρχῆς.

Περὶ ὁμιλίας καθημερινῆς.

3. Ὅμιλία, ἀναστροφή, τριβὴ καθημερινῆ ὀφείλει δοθῆναι πᾶσιν τοῖς παισίν, τοῖς μικροῖς καὶ τοῖς μείζονοις, ἐπειδὴ ἀναγκαῖά εἰσιν.

*Ὄρθρου ἐγρηγόρησα ἐξ ὕπνου, ἀνέστην ἐκ τῆς κλίνης, ἐκάθισα. ἔλαβον ὑποδεσμίδα, ὑποδήματα, ὑπεδηκάμην. ἤτησα ὕδωρ εἰς τὴν ὄψιν. νίπτομαι πρῶτον τὰς χεῖρας, εἶτα τὴν ὄψιν ἐνιψάμην· ἀπέμαξα· ἀπέθηκα λευκὴν φαινόλην· προῆλθον ἐκ τοῦ κοιτώνοιο σὺν τῷ παιδαγωγῷ ἀσπάσασθαι τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα. ἀμφοτέρου ἤσπασάμην καὶ κατεφίλησα καὶ οὕτως κατήλθον ἐκ τοῦ οἴκου. ἀπέρχομαι ἀσπάσασθαι πάντας τοὺς φίλους.

4. Καὶ οἰκοδεσπότης προερχόμενος ἀπήντησεν τοῦ φίλου αὐτοῦ καὶ εἶπεν· Χαῖρε Γάϊε, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν· καὶ ἀντησπάσατο λέγων· Καλῶς ζῆσαις, Λούκιε· ἔστιν σε ἰδεῖν; τί πράττεις; Πάντα ὀρθῶς. πῶς ἔχεις; Συγχαίρομαί σοι οὕτως ὡς ἐμοί. * * * κριτήριον. Πρὸς τίνα; πρὸς τὸν ταμίαν; Οὐκ ἐκεῖ.

caseum, caricas, nuces. bibo aquam frigidam. pransus reuertor iterum in scholam. inuenio magistrum perlegentem, et dixit: Incipite ab initio.

De fabulis cottidianis.

3. Sermo[ne], conuersatio[ne], usus cottidianus debet dari omnibus pueris, minoribus et maioribus, quoniam necessaria sunt.

Ante lucem uigilaui de somno, surrexi de lecto, sedi. accepi pedales, calciamenta, calciaui me. poposci aquam ad faciem. lauo primo manus, deinde faciem laui; extersi; deposui albam paenulam; prodii de cubiculo eum paedagogo salutare patrem et matrem. ambos salutauī et osculatus sum. et sic descendi de domo. eo salutare omnes amicos.

4. Et pater procedens occurrit amico suo. et dixit: Aue, Gaie. et osculatus est eum; et resalutauit dicens: Bene ualeas, Lucie; est te uidere? quid agis? Omnia recte. quomodo habes? Gratulor tibi sic quomodo mihi. * * * iudicium. Ad quem? ad quaestorem? Non ibi. Sed ubi? ad

Ἄλλὰ ποῦ; πρὸς τὸν ἀνθύπατον; Οὐδ' ἐκεῖ, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἀρχοντας ἐξ ὑπογραφῆς τοῦ διέποντος τὴν ἐπαρχίαν. Ποταπὸν δ' ἐστὶν αὐτὸ τὸ πρᾶγμα; Οὐ πάνυ μέγα· ἔστιν γὰρ χρηματικόν, ἵνα ὄλον ἴδῃς. εἰ σχολάζεις [κύ], παρέδρευον ἡμῖν· οἱ κριταὶ γὰρ ἡμέραν ἡμῖν ὤρισαν τὴν σήμερον ἀπόφασιν ἐροῦμενοι. διὸ βούλομαί σου παρόντος περὶ τῆς δίκης σὺν τοῖς συνηγόροις κέψασθαι. Παρέλαβες; Παρέλαβον. Τίνας; Τοὺς σὺς φίλους. Καλῶς ἐποίησας. Συνετάξω; περὶ ποίαν ὥραν; ἐν ποίῳ τόπῳ; Ὅσον τὸ φόρον, ἐν τῇ στοᾷ, ἐγγὺς τῆς στοᾶς τῆς Νίκης. Μετ' ὀλίγον ἐκεῖ ἔρχομαι. Ἄλλὰ παρακαλῶ, ἐν νῶ ἔχοις. Ἀμέριμος ἦς· ἐμοὶ μελήσει. Ἄγωμεν ἡμεῖς πρὸς τὸν τραπεζίτην· λάβωμεν παρ' αὐτοῦ δηνάρια ἑκατόν· δῶμεν δικολόγῳ τιμητικόν καὶ τοῖς συνηγόροις καὶ τοῖς νομικοῖς, ἵνα σπουδαιότερον ἐκδικήσωσιν ἡμᾶς. Οὗτός ἐστιν. Λαβὲ παρ' αὐτοῦ κέρμα καὶ ἀκολούθει. Καθὼς συνεταξάμεθα, πάρεστιν Γάιος. συγκαλέσωμεν αὐτὸν εἰς τὴν συμβουλήν. ἐνθάδε ἔχομεν τὰ ἀσφαλίματα. Παρήγγειλας αὐτῷ; Παρήγγειλα. Ἐμαρτυροποίησας; Ἐμαρτυροποίησα. Ἐτοιμος ἦς. Ἐτοιμός εἰμι. Καὶ ὁ ἀντίδικος ἐντυχεῖν θέλει. Σιωπήσον. Σιωπῶ. Σιωπὴν ἔχετε, ἀκούσωμεν τὴν ἀπόφασιν. ἤκουσας, ὅτι ἐνικήσαμεν, Γάιε;

5. Κύριε, τί ἐπιτάσσεις; Μῆτι ἔχεις χρήματα εὐκαιροῦντα; Τί χρεῖαν

proconsulem? Nec ibi, sed ad magistratus ex subscriptione praesidis prouvinciae. Qualis autem est ipsa res? Non ualde magna; est enim pecuniaria, ut omne uideas. si uacat tibi, adesto nobis; iudices enim diem nobis dederunt hodiernam sententiam dicturi. quare uolo te praesente de causa cum aduocatis tractare. Adhibuisti? Adhibui. Quos? Tuos amicos. Bene fecisti. Constituisti? circa quam horam? in quo loco? In foro, in porticu, iuxta stoam Victoriae. Post modicum ibi uenio. Sed rogo, in mente habeas. Securus esto; mihi pertinet. Eamus nos ad nummularium; accipiamus ab eo denarios centum; demus cauidico honorarium et aduocatis et iuris peritis, ut incessanter defendant nos. Iste est. Accipe ab eo nummos et sequere. sicut constituimus, adest Gaius. conuocemus eum in consilium. hic habemus instrumenta. Denuntiasti illi? Denuntiaui. Testatus es? Testatus sum. Paratus esto. Paratus sum. Et aduersarius interpellare <uult>. Tace. Taceo. Silentium habete, audiamus sententiam. audisti, quia uicimus, Gaie?

5. Domine, qui imperasti? Numquid habes pecuniam uacua?

ἔχεις δανείσασθαι; Εἰ ἔχεις, χρήσόν μοι πέντε δηνάρια. Καὶ μὴ ἐσχηκῶς ὀθενδῆποτε ἐξέπλησα ἄν. Ἐν-έχυρον θέλεις; Μὴ γένοιτο, οὐ χρείαν ἔχω. χειρογράφῳ μοί σε εἰληφέναι. Ποίοις τόκοις; Οἷς θέλεις. Ἐχειρογράφησα. χάριτάς σοι ὁμολογῶ. Σφράγισον. Ἐσφράγισα. Ἀριθμῶ ἀρίθμησον. Ἀρίθμησα. Δοκίμασον. Ἐδοκίμασα. Καθὼς ἔλαβες, δοκίμως ἀπόδος. Ὡς σοι ἀποδώσω, καὶ τὸ ἱκανὸν ποιήσω.

6. Καλήμερον. ἦλθες; Ἦλθον. Ἐλαβες; ἔδωκας αὐτῷ; <Ἐδωκα.> Ἀπηλλάγησθε. Μὴ τινος χρείαν ἔχεις; Σὲ ὑγιαίνειν. Ἐὰν θέλῃς, ἐλθὲ μεθ' ἡμῶν. Ποῦ; Πρὸς φίλον ἡμέτερον Λύκιον. ἐπισκεψόμεθα αὐτόν. Τί γὰρ ἔχει; Ἀρρωτεῖ. Ἀπὸ πότε; Πρὸ ὀλίγων ἡμερῶν ἐνέπεσεν. Ποῦ μένει; Οὐ μακράν. Εἰ θέλεις, περιπάτει. Αὕτη ἐστὶ νομίζω, ἡ οἰκία αὐτοῦ. αὕτη ἐστίν. Ἴδου ὁ θυρωρὸς. Ἐρώτησον αὐτόν, εἰ δυνάμεθα εἰσελθεῖν καὶ ἰδεῖν τὸν κύριον αὐτοῦ. καὶ ἐκεῖνος εἶπεν· Τίνα ζητεῖτε; Τὸν δεσπότην σου. περὶ τῆς ὑγείας αὐτοῦ ἐληλύθαμεν. Ἀνάβατε. Πόσας κλίμακας; Δύο. Ἐὰν τὰ δεξιὰ κρούσατε, εἰ μέντοι γε ἦλθεν· προεληλύθει γάρ. Κρούσωμεν. Βλέπε, τίς ἐστίν. Χαίρετε πάντες. Τὸν κύριόν σου θέλομεν ἐπισκεψασθαι. <εἰ> γρηγορεῖ, μήνυσόν με. κάκεινος εἶπεν· Οὐκ ἔστιν ὧδε. Τί λαλεῖς; ἀλλὰ ποῦ ἐστίν; Ἐκεῖ κατέβη ἔτι τὸν δαφνώνα διακινήσαι. Συγχαίρομεθα αὐτῷ. ὅταν ἔλθῃ, εἰποῖς αὐτῷ ἡμᾶς πρὸς αὐτόν χαιρομένους

Quid opus habes mutuari? Si habes, commoda mihi quinque sestertios. Etsi non habuissem, undecumque explicassem. Pignus uis? Absit, <non opus habeo.> caue mihi te accepisse. Quibus usuris? Quibus uis. Cui. gratias tibi ago. Signa. Signaui. Numero numera. Numerauit. Proba. Probauit. Sicut accepisti, probum reddas. Cum tibi reddidero, et satisfaciam.

6. Bono die. uenisti? Veni. Acccepisti? dedisti illi? Dedi. Caruisti. Numquid aliquid opus habes? Te ualere. Si uis, ueni mecum. Vbi? Ad amicum nostrum Lucium. uisitemus <eum>. Quid enim habet? Aegrotat. A quando? Intra paucos dies incurrit. Vbi manet? Non longe. Sis ambula. Haec est, puto, domus eius. haec est. Ecce ostiarius. Interroga illum, si possumus intrare et uidere dominum eius. et ille dixit: Quem quaeritis? Dominum tuum. de salute eius uenimus. Ascendite. Quot scallas? Duas. ad dexteram pulsate, si tamen uenit; processerat enim. Pulsemus. Vide, quis est. Auete omnes. Dominum tuum uolumus uisitare. si uigilat, nuntia me. et ille dixit: Non est hic. Quid narras? sed ubi est? Illuc descendit ad laurentum deambulare. Gratulamur illi. cum uenerit, dices illi nos ad ipsum gratulantes uenisse ad salutem eius, quia omnia recte habent. Sic faciam.

ἐηλυθέναι περὶ τῆς σπηρίας αὐτοῦ, ὅτι πάντα ὀρθῶς ἔχει. Οὕτω ποιῶ.

7. Σὺ ποῦ ὑπάγεις; Ἐπὶ τὴν οἰκίαν σπεύδω. διὰ τί ἐπεζήτησας; Ἄν σοι ἡδὺ ἐστίν, σήμερον παρ' ἐμοὶ ἀρίστηρον χρησίμως. οἶνω καλῶ οἰκιακῶ χρώμεθα. Οὕτως γενέσθω. Ἐν ὥρᾳ οὖν ἔλθε πρὸς ἡμᾶς. Ὅτε θέλεις, πέμψον πρὸς ἡμᾶς. Ἐπὶ τὴν οἰκίαν εἰμὶ. Οὕτως γενέσθω ἡμῖν.
7. Tu ubi uadis? Ad domum festino. quare inquisisti? Si tibi suaue est, hodie apud me prande frugaliter. uino bono domestico utimur. Sic fiat. Temperius ergo ueni ad nos. Quando uis, mitte ad nos; domi sum. Sic fiat nobis.
8. Σὺ, παιδάριον, ἀκολούθησόν μοι ἔπειτα τὸ κρεοπωλεῖον· τίποτε ἀγοράσωμεν εἰς ἄριστον. ἐπερώτησον, πόσου ὁ ἰχθύς. Δηνάρια δέκα. Σὺ, παιδάριον, ὑπάγε εἰς τὴν οἰκίαν, ἵνα δυνηθῶμεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ λαχανοπωλεῖον καὶ ἀγοράσαι λάχανα, ἅπερ ἀναγκαῖά εἰσιν, καὶ ὀπώραν, συκάμινα, κύκα, δωράκινα, ἀπίους, τρικόκκια. Ἰδοὺ ἔχεις πάντα, ἃ ἠγοράσαμεν. ὑπάγε εἰς τὴν οἰκίαν.
8. Tu, puer, sequere me ad macellum; aliquid emamus ad prandium. interroga, quantum piscis. Denarios decem. Tu, puer, refer ad domum, ut possimus ire ad olerarium et emere olera, quae necessaria sunt, et poma, mora, ficus, persos, piras, tuberes. ecce habes omnia, quae emimus. refer ad domum.
9. Καλεσάτω <τις> τὸν μάγειρον. ποῦ ἐστίν; Ἄνω ἀνῆλθεν. Καὶ τί θέλεις; καταβάτω ὧδε. ἄρον, ἔψησον ἐπιμελῶς τὰ προσφάγια. ἄρτυσις καλὴ γενέσθω. ἔνεγκε τὴν κλεῖδα. ἀνοιξον τὸ γλωσσοκόμον καὶ ἐξάγαγε κλεῖδα τοῦ ταμείου. <προένεγκε, ἃ ἀναγκαῖά εἰσιν> ἄλας, ἔλαιον Σπανόν καὶ ἐπιτήδειον εἰς τοὺς λύχνους, γάρρον πρῶτον καὶ δευτέριον, ὄξος δριμύ, οἶνον λευκόν καὶ μελανόν, γλεῦκος παλαιόν, ζύλα ξηρά, ἀνθρακας, ἀνθρακιάν, ἀξίνην, σκεῦη, λοπάδας, χύτραν, λέβητα, σφάραγαν, πῶμα, θύειαν, ἀλετριβανον, μαχαίριον. Τί ἄλλο
9. Clamet aliquis cocum. ubi est? Sursum ascendit. Et quid uult? descendat hic. tolle, coque diligenter pulmentaria. conditura bona fiat. affer clauem. aperi loculum et eice clauem cellarii; profer, quae necessaria sunt, sale, oleum Spanum et apparatus ad lucernas, liquamen primum et secundum, acetum acrum, uinum album et nigrum, mustum uetus, ligna sicca, carbones, prunam, securim, uasa, catina, caccabum, ollam, craticulam, cooperitorium, mortarium, pistillum, cultellum. Quid aliud uis? Haec tantum, puer. uade ad Gaium

θέλεις; Ταῦτα μόνα, παιδάριον. ὕπαγε πρὸς Γάϊον καὶ εἰπέ αὐτῷ· Ἐλθέ· ἐκεῖθεν λουώμεθα. Ὑπαγε, τρέχε, ταχέως ποίησον· μηδὲν βράδιον, <ἀλλ> εὐθύς. Ἐγένου πρὸς αὐτόν; Ἐγενόμην. Ὅπου ἦν; Εἰς τὴν οἰκίαν ἐκάθητο. Καὶ τί ἐποίει; Ἐφιλολόγει. Καὶ τί εἶπεν; Τοὺς ἔμοις ἐκδέχομαι. ἔρχονται καὶ ἀκολουθῶ. Ὑπαγε πάλιν καὶ εἰπέ αὐτῷ· Πάντες ὠδέ εἰσιν. σὺν αὐτῷ ἔλθέ. ὑμεῖς τέως σύνθετε ἐπιμελῶς τὰ ὑάλινα καὶ τὰ χαλκῶματα. στρώσατε τὸ τρίκλινον καὶ ρίψατε ἔξω ὕδωρ. θέλω ἰδεῖν ὡς νεανίσκοι. Ἦδη ἐστρώσαμεν. πάντα ἕτοιμά εἰσιν. Οὐδέπω ἦλθεν; ἄπελθε, εἰπέ αὐτῷ· Ὅπῃ ἡμᾶς ποιεῖς ἀριστήσαι. Ἰδοὺ ἦλθεν. συνάντησον αὐτῷ. ὠδε ἦρχετο. παρακάλεσον αὐτόν. Τί ἔξω στήκει;

10. Κατάγετε κάβανα εἰς τὸ βαλανεῖον, ζύστρον, προσοψίδιον, ποδεκμάγιον, λήκυθον, ἀφρόνιτρον. προάγετε, λάβετε τὸν τόπον. Ποῦ κελεύεις; ἔς τὸ δημόσιον ἢ ἐν τῷ ἰδιωτικῷ; Ὅπου κελεύετε. Προάγετε μόνον· ὑμῖν λέγω, οἱ ἐνθάδε ἐστέ. Θερμὸν γενέσθω ἡμῖν. Ὅσον ὑπάγομεν, διηγῆσομαί σοι. Ἐγείρου, ἄγωμεν. Ἐνθεν θέλεις διὰ τῆς στοᾶς διὰ τὸν ἴππετον; Μήτι θέλεις ἐλθεῖν ἔς τὸν ἀφεδρῶνα; Καλῶς με ὑπέμνησας, ἢ κοιλία με ἐπείγει. ἄγωμεν λοιπόν. Ἐκδύσον με, ὑπόλυσόν με, σύνθεσ τὰ ἱμάτια, περιβάλε, τήρει καλῶς, μὴ νύσταζε διὰ τοὺς κλέπτας. ἄρπαξον ἡμῖν σφαῖραν· παίξωμεν ἐν τῷ σφαι-

et dic illi: Veni, inde lauemus. Vade, curre, cito fac; nihil tardius, sed uelocius. Fuisti ad ipsum? Fui. Vbi erat? Ad domum sedebat. Et quid faciebat? Studebat. Et quid dixit? Meos expecto; ueniunt et sequor. Vade iterum et dic illi: Omnes hic sunt. cum illo ueni. uos interim componite diligenter uitreamina et aeramenta. sternite cenationem et proicite foras aquam. uolo uidere quasi iuuenes. Iam strauimus. omnia parata sunt. Nondum uenit? uade, dic illi: Sero nos facis prandere. Ecce uenit. occurre ei. hic ueniebat. roga illum. Quid foras stas?

10. Deferte sabana ad balneum, strigilem, faciale, pedale, ampullam, aphronitrum. anteceditate, occupate locum. Vbi iubet? ad thermas aut in priuato? Vbi iubetis. Anteceditate tantum; uobis dico, qui hic estis. Calida fiat nobis. Quando imus, narrabo tibi. Surge, eamus. Hinc uis per porticum, propter lumen? Numquid uis uenire ad secessum? Bene me admonuisti, uenter me cogit. eamus iam. Expolia me, discalcia me, compone uestimenta, cooperi, serua bene, ne addormias propter fures. rape nobis pilam; ludamus in sphaeristerio. exerceri uolo in ceromate. ueni luctemus

ριστηρίω. γυμνασθῆναι θέλω ἐν τῷ κηρώματι. δεῦρο παλαίωμεν διὰ χρόνου μιᾶ ῥοπή. Οὐκ οἶδα, εἰ δύναμαι· τὸ πάλαι γὰρ πέπαυμαι τοῦ παλαίειν. ὅμως πειράζω, εἰ δύναμαι. Ἐλαφρῶς κεκόπωμαι. Εἰσέλθωμεν εἰς τὸν πρῶτον οἶκον προπνιγέα. δὸς τῷ βαλανεῖ κέρμα· ἀπόλαβε τὸ ὑπόλοιπον. ἄλειψε. Ἄλειψα. Ἄλείφομαι. Τρίψον. Ἔρχου ἔ τὸ ἰδρωτήριον. Ἰδροῖς; Ἰδρῶ· ἐκλέλυμαι. ἐσέλθωμεν εἰς τὴν ἐμβάτην. κατὰβα. χρώμεθα τῇ ξηροπυρία καὶ οὕτω καταβῶμεν εἰς τὴν ἐμβάτην. κατὰβα, κατάντησόν με. ἔξελθε λοιπόν. βάλε σεαυτὸν εἰς τὴν κολυμβήθραν ὑπαίθριον. κολύμβησον. Ἐκολύμβησα. Πρόσελθε εἰς τὸν λουτήρα. περιέχει εαυτὸν. Περιέχεια. ἀνέλαβον, ἐπίδος ζύστραν. περικατάμαξόν με. περίζωσε κάβανα. κατάμαξόν μου <τὴν> κεφαλὴν καὶ τοὺς πόδας. δὸς σανδάλια, ὑπόδησόν με. ἐπίδος ἐπικάρσιον, ἀναβόλαιον, δαλματικὴν. συνάξτε τὰ ἱμάτια καὶ πάντα τὰ ἡμῶν. ἀκολουθεῖτε εἰς τὸν οἶκον καὶ ἀγοράσετε ἡμῖν ἀπὸ τοῦ βαλανείου λεπτόσπερμα καὶ θέρμους <καὶ> ὄευκυάμια. Καλῶς ἐλούσω, καλῶς σοι ἔσται.

11. Δότε ὡδε θρόνους, δίφρους, βάθρον, δῖεδρον, προσκεφάλαιον. καθέζου. Κάθημαι. Τί στήκει; πλῦνον ποτήριν <ὔδατι θερμῷ.> συγέρασον· πάνυ γὰρ διψῶ. κέρασον πάσιν. τίς τί θέλει; ἢ ἀρτυτὸν <ἢ> κάροινον; αὐτὸ ἐκείνω κέρασον. σὺ τί θέλεις; πλῦνον ποτήριον, κέρασόν μοι θερμόν,

post tempus uno momento. Non scio, si possum; olim enim cessavi luctare. tamen tempto si possum. Leuiter fatigatus sum. Introeamus in cellam primam tepidariam. da balnitori nummos; accipe reliquum. unge. Vni. Vngo me. Friga. Veni ad sudatorium. Sudas? Sudo; lassus sum. introeamus ad solium. descende. Vtamur assa et sic descendamus ad solium. descende, fomenta me. exi iam. mitte te ipsum ad piscinam subdiualem. nata. Nataui. Ad lutum accede. perfunde te. perfudi. resumpsi. porrige strigilem. deterge me. cinge sabana. terge mihi caput et pedes. <da> caligulas, calcia me. porrige amiculum, pallam, dalmaticam. colligite uestimenta et omnia nostra. sequimini ad domum et emite nobis a balneo minutalia et lupinos <et> fabas acetatas. Bene lauasti, bene tibi sit.

11. Date hic cathedras, sellas, scamnum, bisellium, ceruicale. sede. Sedeo. Quid stas? laua calicem aqua calida. tempera; ualde enim sitio. misce omnibus. quis quid uult? aut conditum aut caroenum? ipsum illi misce. tu quid uis? laua calicem. misce mihi calidum, noli feruentem neque

μὴ ζεστὸν μῆτε χλιαρόν, ἀλλὰ
 συγκεραστὸν καὶ ἔκχεε ἐκείθεν
 ὀλίγον. βάλε νερόν. πρόσθεσ
 ἄκρατον. τί στήκετε; καθέζεθε.
 ἔὰν θέλητε, ἀναπέσωμεν. Ποῦ
 κελεύεις; Ἐν πρώτῳ τόπῳ ἀνά-
 πεσε. δὸθ' ἡμῖν ὑδρογάρον. δὸς
 ἡμῖν γεύσασθαι μολόχας ζεστάς.
 ἐπίδοσ μοι χειρεκμάγιον. κομίσατε.
 βάλε ἐλαιόγαρον εἰς τὸ δευβάριον.
 μέρισον τὰ ὀνύχια. κατάκοψον
 κοιλίδιον, πλεκτὴν ἐξ ὕδατος. ἰδέ,
 εἰ ἔχεις πεπεράτον. ἐπίβαπτε.
 Χρῶμαι. Χρῶ. δὸς συκωτὸν τρυ-
 φερὸν, κίχλας, καλλίκρεας, θρίδα-
 κας. εἰς ἐξ ὑμῶν ἄρτον κλάσει
 καὶ ἔσ κανίσκιον εἰσίοισι. κατὰ
 τάξιν παράδοσ. κλάσον ψωμοῦς.
 δειπνήσατε· πάντως ἐκεῖνος ἄξιός
 ἔστιν παρ' ἡμῖν δειπνήσαι. δὸς
 ταρίχιον, τριχίας, λόβια, ὄρμενον
 μετὰ γάρου καὶ ἔλαιον Σπανόν,
 γογγυλωτόν, ὄρνον ὀπτὴν, ψιλή-
 πλευρα διὰ ζωμοῦ, τεμάχια, δέλ-
 φακα ὀπτόν. θὲς τὸν δίσκον μετὰ
 τρωξίμων, ραφάνους, ἡδύοσμον,
 ἐλαίας λευκάς καὶ τυρόν νεαρὸπα-
 στον, οἶδνα, μύκας. τοῖς ὑπηρε-
 τήσασιν δότε δειπνήσαι καὶ τῷ
 μαγείρῳ καὶ τραγήματι, ὅτι κα-
 λῶς ὑπηρετήσαν. δότε ὕδωρ εἰς
 χεῖρας. κατάμαζον τὴν τράπεζαν.
 <δὸς> πρόσφατον. δὸς ἀπλοπότην,
 δὸς ἄκρατον, πίνωμεν νερόν ἐκ
 τοῦ βαυκιδίου. κέρασον θερμόν.
 Εἰς τὸ μεῖζον; Εἰς τὸ μικρόν
 ἡδέως. ἐλπίζω γὰρ καὶ ἄλλην
 πεῖν. Ἐὰν ἐπιτρέψῃς, προπίνω
 σου· καλῶς λαμβάνεις; Ἀπὸ σοῦ
 ἡδέως. Διὰ τί οὐ πίνεις; πῆ
 κύριε. Ἥιτησα καὶ οὐδεὶς μοι

tepidum, sed temperatum <et>
 effunde deinde modicum. mitte
 recentem. adice merum. quid
 statis? sedete. si uultis, discum-
 bamus. Vbi iubes? In primo
 loco discumbe. date nobis hydro-
 garon. da nobis gustare maluas
 feruentes. porrige mihi mappam.
 afferte. mitte impensam ad ace-
 tabulum. diuide unguellas. con-
 cide aqualiculum, cordam ex
 aqua. uide, si habes piperatum.
 intinge. Vtor. Vtere. da ficatum
 tenerum, turdos, glandulas, lac-
 tucas. unus de uobis panem
 frangat et in canistellum inferat.
 ad ordinem trade. frange quadras.
 cenate; utique ille dignus est
 apud nos cenare. da salsum,
 sardinas, siliquas, cyma cum
 liquamine et oleum Spanum, ra-
 patum, gallinam assam, ofellas
 iuscellatas, copadia, porcellum
 assum. pone discum cum scarias,
 radices, mentam, oliuas albas et
 caseum praesalsum, tubera, fun-
 gos. ministrantibus date cenare
 et coco et bellaria, quia bene
 seruiuerunt. date aquam mani-
 bus. terge mensam. <da> te-
 metum. da phialulam. da merum.
 bibamus recentem de gillone.
 misce caldum. In maiore? In
 minore libenter. spero enim et
 aliam bibere. Si permittis, pro-
 pino tibi; bene accipis? A te
 libenter. Quare non bibis? bibe,
 domine. Postulauit et nemo mihi
 dedit. Date nobis dulcia pla-
 centa. Sufficit nobis. eamus
 iam. accendé lampadam. accipe.

δέδωκεν. Δόθ' ἡμῖν γλυκέα πλα-
κούντια. Ἄρκει ἡμῖν. ἄγωμεν
λοιπόν. ἄψον κανδήλαν. λαβέ.
καλῶς ἡμᾶς ἔλαβες.

12. Παιδίον, ἐλθέ, κύλλεξον ταῦτα,
πάντα τοῖς ἰδίοις τόποις ἀπόθου.
ἐπιμελῶς στρώσον τὴν κλίνην.
Στρώσαμεν. Καὶ διὰ τοῦτο κλη-
ρόν ἐστιν; Ἐξετινάξαμεν καὶ προσ-
κεφάλαιον ἐμαλάξαμεν. Ἐπειδὴ
γὰρ ὀκνηρῶς <ἐποιήσατε> ἃ
ἀναγκαῖά εἰσιν, μηδεὶς ἔξω δια-
νυκτερεύσῃ ἢ ἐκτρέψῃ. ἐάν τις
φωνὴν ἀκούσῃ, οὐ τούτου συγχα-
ρήσῃ. ἀναλάβετε ὑμᾶς, κοιμάσθε
καὶ ἀλεκτροφωνίῳ ἐξυπνίσάτε
<με>, ἵνα ἐκδράμω.

bene nos accepisti.

12. Puer, ueni, collige haec, om-
nia suis locis reponere. diligenter
sterne lectum. Strauimus. Et
ideo durum est? Excussimus et
puluinum commolliuimus. Quo-
niam autem pigriter <fecistis>
quae necessaria sunt, nemo foris
pernoctet aut ineptiat. si ali-
cuius uocem audio, non ei parco.
recipite uos, dormite et in galli
cantu excitate me, ut excurram.

IV. COLLOQVIVM MONTEPESSVLANVM

ΕΡΜΗΝΕΥΜΑΤΑ.

1. Ἐπειδὴ ὁρῶ πολλοὺς ἐπιθυμοῦν-
τας Ἑλληνιστὶ διαλέγεσθαι καὶ Ῥω-
μαϊστὶ μὴτε εὐχερῶς δύνασθαι διὰ
τὴν δυσχέρειαν καὶ πολυπλήθειαν
τῶν ῥημάτων, οὐκ ἐφειδάμην
τοῦτο ποιῆσαι ἵνα ἐν τρισὶν
βιβλίοις ἐρμηνευματικοῖς πάντα
τὰ ῥήματα συγγράψωμαι. ἄρχομαι
γράφειν ἀπὸ ἀλφα ἕως ω. ἀγαθὴ
τύχη. θεοὶ ἴλεοι.
2. Καθηγητά, χαίρει. ἐπειδὴ θέλω
καὶ λίαν ἐπιθυμῶ λαλεῖν Ἑλ-
ληνιστὶ καὶ Ῥωμαϊστὶ, ἐρωτῶ σε,
ἐπιστάτα, δίδαξόν με. Ἐγὼ ποι-
ήσω, ἐάν μοι πρόσσχησ. Προσέχω
σοι ἐπιμελῶς. Ἐπειδὴ οὖν ὁρῶ
σε τούτου τοῦ πράγματος, του-
τέστιν ταύτης τῆς διαλέκτου τῆς
λεγομένης Ῥωμαϊκῆς, ἐπιθυμοῦν-

INTERPRETAMENTA.

1. Quoniam uideo multos cupientes
Graece disputare et Latine ne-
que facile posse propter diffi-
cultatem et multitudinem uer-
borum, non peperci hoc facere
ut in tribus libris interpretatoriis
omnia uerba conscribam. incipio
scribere ab alfa usque o. bona
fortuna. dii propitii.
2. Praeceptor, haue. quoniam uolo
et ualde cupio loqui Graece et
Latine, rogo te, magister, doce
me. Ego faciam, si me adtendas.
Adtendo <te> diligenter. Quo-
niam ergo uideo te huius rei,
hoc est eius interpretationis quae
dicitur Latinae cupientem, de-
monstrabo tibi, fili, quoniam

τα, ἐπιδείξω σοι, τέκνον, ὅτι οὐκ ἔστι τοῦ τυχόντος ἀνθρώπου καταλαβεῖν, ἀλλὰ πεπαιδευμένου καὶ εὐφροεντάτου εἶναι μάθησιν. διὰ τοῦτο τοίνυν σοι μᾶλλον τῷ μὴ εἰδῶτι μὴδὲν διηγήσασθαι ἐκθήσομαι. χρεῖα οὖν σοὶ ἔστιν ἃ παραγγέλλω· ἀκοή, μνήμη, διάνοια, τριβὴ καθημερινὴ τεχνίτην ποιεῖ. τοῦτο σεαυτῷ ἂν παράσχῃς, μικροὺς δύνασαι μαθεῖν. δύο οὖν εἰσιν πρόσωπα τὰ διαλεγόμενα, ἐγὼ καὶ σύ. σύ εἶ ὁ ἐπερωτῶν, ἐγὼ ἀποκριθήσομαι. πρὸ παντὸς οὖν ἀναγίνωσκε τρανώς (σαφῶς).

3. Ἡδέως σε εἶδον. Καὶ ἐγὼ σέ.
 4. Τίς κρούει τὴν θύραν; Παρὰ Γαίου πρὸς Λούκιον. εἰ ἐνθάδε ἔστιν, ἀγγεῖλον. Πάρεστιν παρὰ Γαίου. Ἐρώτησον αὐτόν. — τί ἔστιν, παιδάριον; πάντα καλῶς; Ναί, κύριε. Ἐπεμμέν σοι ἐπιστολὴν ἐσφραγισμένην. Δός, ἀναγνῶ. ἔγραψέν μοι περὶ τοῦ πράγματος. πορεύου, παιδάριον, καὶ ἀγγεῖλον ὅτι ἔρχομαι. δότε μοι ὑποδήματα. φέρε ὕδωρ εἰς ὄψιν. δός Ζωστόν· Ζῶσόν με. δός τήβεννον· περιβαλέ με. δός φελόνην καὶ δακτυλίους. τί στήκεις, ἑταῖρε; ἄρον τὰ χρεῖα ὄντα καὶ ἔλθέ μετ' ἐμοῦ. σπεύδω πρὸς φίλον ἀρχαῖον, συγκλητικὸν δήμου Ῥωμαίων, ὅστις ἀπὸ Ῥωμύλου κατάρχει τὸ γένος, ἀπὸ Τρώων τῶν Αἰνεϊαδῶν.
 5. Ἐπιθυμῶ μαθεῖν διάλεκτον Ἀττικὴν, ἐπιθυμῶ λίαν. Ὅτι θέλεις ῥήτωρ εἶναι (δικολόγος, δημηγόρος,

non est cuiuslibet hominis deprehendere, sed docti et ingeniosi esse doctrinam. propter hoc etiam tibi magis qui nescis nihil disputare exponam. opus ergo tibi est quae praecipio: auditus, memoria, sensus, usus cotidianus artificem facit. hoc tibi si praestiteris, mercedes potes discere. duae ergo sunt personae quae disputant, ego et tu. tu es qui interrogas, ego respondebo. ante omnia ergo lege clare (diserte).

3. Libenter te uidi. Et ego te.
 4. Quis pulsat ostium? A Gaio ad Lucium. si hic est, nuntia. Venit a Gaio. Roga illum. — quid est, puer? omnia recte? Etiam, domine. misit tibi epistulam signatam. Da legam. scripsit mihi de negotio. uade, puer, et nuntia quoniam uenio. date mihi calciamenta. adfer aquam ad manus. da subarmale: cinge me. da togam: operi me. da paenulam et anulos. quid stas, sodalis? tolle quae opus sunt et ueni mecum. festino ad amicum antiquum, senatorem populi Romani, qui a Romulo deducit genus, a Troianis Aeneadarum.
 5. Cupio discere sermonem Atticum, cupio ualde. Quoniam uis orator esse (causidicus, dicentarius, actor;

- κνήγορος, νομικός, νομικός, νομικός, νομικός, παράκλητος). *iuris studiosus, iuris peritus, iuris consultus, iuris prudens, aduocatus).*
6. Ἐγκώμιον ἔγραψα. Τίνος; Ζηνὸς Καπιτωλίνου. Ἀνάγνωθι. — μεγάλως εἶπας. ἄρον τὸν στέφανον. οὐδεὶς σοι ἀντιλέγει. 6. *Laudem scripsi. Cuius? Iouis Capitolini. Lege. — magne dixisti. tolle coronam. nemo tibi contradicit.*
7. Οἶδας ποῦ μένει ὁ φίλος μου, ἀρχαιότατος (ἀπ') ἀρχαιογονίας, ἀνὴρ γενναῖος. πρόλαβέ με καὶ γνῶθι εἰ ἔνδον ἐστὶ καὶ ἀπάντησον ἐμοί. 7. *Scis ubi manet amicus meus, uetustissimus ab origine, uir fortis. antecede me et scito si intus est et obuia mihi.*
8. Ζεῦξον τὰς δλκάδας, ἡμιοναγέ. καὶ σύ, ἑτρατιῶτα, ἔλθὲ μετ' ἐμοῦ εἰς Τιβουρτίνον. ἄγωμεν ἡμεῖς πρὸς τοὺς ἄλλους φίλους. 8. *Iunge mulas, mulio. et tu, miles, ueni mecum in Tiburtinum. eamus nos ad alios amicos.*
9. Χαῖρε, κύριε. χαῖρε, κυρία. βασιλεῦ, χαῖρε. βασίλισσα, χαῖρε. Πόθων (μητέρα), θύγατερ πελάγους Ἀφροδίτη. πῶς τὰ παιδία; Ζῶσιν καὶ καλῶς ἔχουσιν. 9. *Haue, domine. haue, domina. rex, haue. regina, haue, Amorum (mater), filia pelagi Venus. quomodo infantes? Viuunt et bene habent.*
10. Ὁ κριτὴς ἦλθεν. ἐπράχθη τὸ πρᾶγμα καὶ νενικήκαμεν. ἐπειδὴ οὖν καλῶ ποδὶ συνήλθας εἰς τὸ πρᾶγμά μου, δυνάμεθα σήμερον ἅμα ἀριστῆσαι. ἐρωτῶ, ἔλθέ. 10. *Iudex uenit. acta res est et uicimus. quoniam ergo bono pede conuenisti in rem meam, possumus hodie una prandere. rogo, ueni.*
11. Ἐπειδὴ φίλους ἐκάλεσα, ἔλθὲ πρὸς ἐμὲ καὶ ἑτοιμασον ἡμῖν πάντα τὰ χρεῖα ὄντα εἰς δεῖπνον καὶ τῷ μαγεῖρω εἶπέ ἵνα τὰ προσφάγια καλῶς ἀρτύσῃ. 11. *Quoniam amicos inuitaui, ueni ad me et para nobis omnia quae opus sunt in cenam et coco dic ut pulmentaria bene condat.*
12. Ἐλθατε ὦδε, ἐκτινάξατε τὴν τύλην, θέτε τὸ προσκεφάλαιον, περιβάλετε ἑστρώματα καὶ περιβόλαια, ἐλκύσατε κάρον, βάνατε ὕδωρ, στρώσατε τὸ τρικλίνιον, φέρετε τὰ ποτήρια καὶ τὰ ἀργυρώματα. σύ, παιδάριον, ἄρον τὴν λάγυνον καὶ γόμωσον ὕδωρ, σχίσον ξύλα, κατάμαξον τὴν τράπεζαν καὶ θεῖς 12. *Venite huc, excutite culcitam, ponite puluinum, operite stragula et opertoria, ducite scopam, spargite aquam, sternite triclinium, adferte calices et argentum. tu, puer, tolle lagunam et imple aquam, scinde ligna, exterge mensam et pone in medium. ego uinum proferam. lauare calices.*

εις τὸ μέσον. ἐγὼ οἶνον προφέρω. πλύνετε τὰ ποτήρια.

13. Τὰ ὀψώνια ἠνέχθησαν. Ἐπέσθωσαν. ἐγὼ πορεύομαι πρὸς ἱματιοπώλην. Πόσου ἢ ζυγῆ; Ἐκατὸν δηναρίων. Πόσου ἢ φελόνη; Διακοσίων δηναρίων. Πολὺ λέγεις. λάβε ρ' δηνάρια. Οὐ δύναται τοσούτου. τοσούτου καθέστηκεν παρὰ τῶν προαγοραστῶν (παρὰ τῶν παραδρόμων καὶ τῶν φαρκίων). Τί δώσω; Ὁ ἄν κελεύῃς. Δὸς αὐτῷ <ρ>κε' δηνάρια. ἄγωμέν καὶ πρὸς ὀθονιοπώλην. κυμβαλοῦ κάκείνῃ. Δὸς ἡμῖν ἐπικάρσια καὶ τέσσαρα λέντια. πόσου πάντα; Τριακοσίων δηναρίων. Πόσαι εἰσὶν ὥραι; Ἡδὴ ὀκτώ.
14. Ἀπελθάτω τις καὶ ἀγγειλάτω ἐπειδὴ ἔρχομαι εἰς βαλανεῖον Τιγιλίνον. ἀκολουθεῖ ἡμῖν. κοὶ λέγω, περικάθαρμα. τήρει ἐπιμελῶς. ἐγὼ δὲ ἕως ἂν τόπον εὐρίσκητε τὸν μυροπώλην ἀσπάσομαι.
15. Ἰούλιε, χαίρε· ἀσπάσομαί σε. δός μοι λίβανον καὶ μύρον τὸ ἀρκοῦν σήμερον πρὸς ἀνθρώπους κ', ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦ.
16. Ὑπόλυσόν με, παιδάριον. δέξαι τὰ ἱματια. δός μοι ἔλαιον. ἀλειψόν με. ἀπέλθωμεν ἔνδον. Ἡδὴ ἴδρωσας; Ἴδρωσα. δός μοι ἀφρόνιτρον. τρίψον με. καλῶς ἐγκέκραται ἡ ἐμβάτη. ἐξέλθωμεν ἔξω καὶ εἰς τὴν δεξαμενὴν. νηρὰν εἶχομεν καλήν. δός μοι ζύστρον. περίξυρόν με. δός κάβανα. κατάμαξόν με. ὑποδησάτω μέ τις. τὰ λωρία δός. ἐνδύσωμαι. ἐνδύσον τοὺς ἐπενδύτας. δός μοι ὀθόνιον πρὸς
13. *Obsonia adlata sunt. Coquantur. ego duco me ad uestiarium. Quanti pareclum? Centum denariis. Quanti paenula? Ducentis denariis. Multum dicis. accipe centum denarios. Non potest tanti. tanti constat de inferioribus (de paradromis et fasciis). Quid dabo? Quod iusseris. Da illi <c>xxv denarios. eamus et ad lintearium. confer et illi. Da nobis amicula et quattuor lintea. quanti omnia? Trecentis denariis. Quot sunt horae? Iam octo.*
14. *Eat aliquis et nuntiet quoniam uenio in balineum Tigillinum. sequere nos. tibi dico, purgamentum. serua diligenter. ego autem usquedum locum inuenitis unguentarium salutabo.*
15. *Iuli, haue: saluto te. da mihi tus et unguentum quod sufficit hodie ad homines uiginti, sed de bono.*
16. *Excalcia me, puer. accipe uestimenta. da mihi oleum. unge me. eamus intro. Iam sudasti? Sudauit. da mihi afronitrum. frica me. bene temperatum est solium. exeamus foras et in piscinam. frigidam habuimus bonam. da mihi strigilem. destringe me. da sabana. exterge me. calciat me aliquis. gallicas da. uestiam me. indue superarias. da mihi lintheum ad faciem. Sa-*

- τὴν ὄψιν. Καλῶς ἐλούσω, κύριε. Οἱ φίλοι πάρεσιν.
17. Κέρασον ἡμῖν. ἀγκωνίσωμεν. δὲ ἡμῖν πρῶτον τεύτλα ἢ κολοκύνθα. βάλε γάρον. δὲ ραφάνους καὶ μαχαίριον. θὲς ὀξόγαρον καὶ θρίδακας καὶ εἰκύους. φέρε ὄνυχιον καὶ κοιλίδιον καὶ τὴν μήτραν. δότε ἄρτους σιλιγνίτας. βάλε ἔλαιον εἰς τὸν τάριχον. τὰς θρίσσας λέπισον καὶ θὲς ἐπὶ τὴν τράπεζαν. δότε σίνηπι καὶ τὴν τραχηλίδα καὶ τὸν κωλεόν.
18. Ὁ ἰχθὺς ὤπηται. Τέμε τὴν ἔλαφον καὶ τὸν κύατρον καὶ τὴν ὄρνιν καὶ τὸν λαγόν. τοὺς καυλοὺς ποίησον. τέμε κρέας ἐξ ὕδατος ἱακερόν. δὲ κρέας ὀπτόν. δὲ ἡμῖν πεῖν. Πάντες ἐπίσωμεν. Φέρε τὰς τρυγόνας καὶ τὸν φασιανόν. φέρε τοῦθαρ καὶ ἄλληκα. περίχειε. φάγωμεν. Ὁραίως ἐγένετο. Δὲ γαλαθηνόν ὀπτόν. πάνυ ζέει. τέμε αὐτόν. φέρε μέλι εἰς τὸ ὀξόβαφον. φέρε καὶ χῆνα σιτευτόν καὶ καλλάκωνα (καὶ ἀλιστόν). δὲ ὕδωρ εἰς χεῖρας. φέρετε εἴ τι ἔχετε, πρωτόγαλα μετὰ μέλιτος καὶ κοπτήν. μέρισον αὐτήν. ἄρωμεν τὰ μέρη.
19. Καλῶς ἐλήμφθημεν. Δὲ τοῖς διακόνοις (δὲ τοῖς ὑπηρέταις) πεῖν καὶ δειπνῆσαι καὶ τῷ μαγεῖρι, ἐπειδὴ καλῶς ὑπηρέτησεν. ἄγωμεν, περιπατήσωμεν. Οὐδὲν εὐκαιρότερον. Καὶ εἰς τὴν ἀγοράν σε σήμερον ἐπέζητησα· σοὶ λέγω, οἰκοδέσποτα. οὐδέπω δύναμαι τὸ ἐμόν ἀπολαβεῖν ὃ μοι ὀφείλεις; Αὔριόν σοι δώσω. Ἐμπαίζεις με. Οὐ φημι.
- Iuum lotum, domine. Amici uenerunt.
17. Misce nobis. accumbamus. da nobis primum betas aut cucurbitas. mitte liquamen. da radices et cultellum. pone oxogarum et lactucas et cucumeres. adfer ungellam et uentriculum et uuluam. date panes siligineos. mitte oleum in salsum. sardinas exquama et pone super mensam. date sinape et collarem et colofium.
18. Piseis assatus est. Praecide ceruum et aprum et gallinam et leporem. coliculos fac. praecide carnem ex aqua madidam. da carnem assam. da nobis bibere. Omnes bibimus. Adfer turtures et fasianum. adfer sumen et allecem. perfunde. manducemus. Optime factum est. Da porcellum assum. ualde calet. praecide illum. adfer mel in acetabulo. adfer et anserem saginatum et sale conditum (et sale conditum). da aquam ad manus. adferite si quid habetis, colostram cum melle et Gelonianum. parti eum. tollamus partes.
19. Bene accepti sumus. Da ministrantibus (da ministrantibus) bibere et cenare et coco, quoniam bene ministrauit. eamus, deambulemus. Nihil oportunius. Et in foro te hodie inquisiui: tibi dico, pater familias. nondum possum meum recipere quod mihi debes? Cras tibi dabo. Inludis me. Non inquam.

20. Ἦδη ὀψέ ἐστιν· ἄγωμεν εἰς οἶκον. ἡ κυρία ποῦ ἐστιν; Ἐνθάδε εἰμί. Ἔχομέν τι δειπνήσαι; Ἔχομεν πάντα. Θέτε τὴν τράπεζαν. δότε ἄρτον. τέμε τυρόν. δός ὀπώραν. μή τι θέλετε καλὰς ἐλαίας; δός κοπάδια καὶ πατέλλαν τυροῦ. τέμε τοῦθαρ. φέρε πλακοῦντα. δός ἄκρατον. δός χειρομάγιον καὶ στεφάνους. Πόσαι ὥραι εἰσιν τῆς νυκτός; Ἦδη τρεῖς. Θές λεκάνην καὶ στάμιον (καὶ στάμιον). παιδάριόν μοι κάλεσον πρὸς τοὺς πόδας ἢ μᾶλλον ἐκ τῶν γυναικῶν μίαν φώνησον. ἄρον τὸν λύχνον. κοιμᾶσθαι θέλω. ἵνα πρωτὶ γρηγορήσω.

20. *Iam sero est; eamus in domum. domina ubi est? Hic sum. Habemus quid cenare? Habemus omnia. Inponite mensam. date panem. praecide caseum. da roma. nequid uultis bonas oliuas? da copadia et patellam casei. praecide sumen. adfer placentum. da merum. da mappam ad manus et coronas. Quot horae sunt noctis? Iam tres. Pone peluem et matellam (et urceum). puerum mihi clama ad pedes aut magis de mulieribus unam clama. tolle lucernam. dormire uolo, ut mane uigilem.*

